990. Obiit Olibanus Capreta comes.
993. Obitum Borrelli comitis Barchinona.
1002. Oliba comes factus est monachus.
1003. Factum est praelium Albesae cum sarracenis.
1009. Obiit Seniofredus abba Rivipl.
1010. Ob. Ermengaudus comes Urgelli.
1017. Ob. Raymundus comes Barch.
1020. Ob. Bernardus comes.

*A. C.*

---

1031. Ob. Rodobertus rex.

1034. Ob. Berengarius comes Barch., et Sancius rex Castellae.

1037. Ob. Ermengaudus comes Urgell.

1038. Dedicatio S. Petri de Vico, et S. M. gr. Ob. Ermengaudus comes Urgell.

1040. Dedicatio S. Mariae Virg., et ob. Eriballus episcopus.

1047. Ob. Oliba episcopus.

1052. Ob. Guillelmus comes Bisull.

1054. Ob. Guifredus episcopus S....Garsias rex interfectus.

1058. Adventus S. Justi et Pastoris Narbonae.

1060. Ob. Enricus rex. Successit Philipus.

1063. Ob. Ranimirus rex, et fuit captum castrum dasens ✠. Capta fuit civitas Jerusalem à christianis mense Augusti.

1065. Capta fuit civitas Barbastri.

1065. Interfectus est Ermengaudus comes Urgell. et ob. Fredinandus rex.

1068. Ob. Guillelmus abbas Rivipulli, et Raymundus comes Cerritaniae.

1071. Abbas Massil. Bernardus accepit Ripull. cenobium.

1075. Ob. Guillelmus episcopus Urgell.

1076. Ob. Raymundus comes Barchinon.

1079. Ob. Guifredus archiep. Narbon., et Bernardus abba Masill.

1082. Raymundus comes occissus.

1083. Cenobium S. Joannis redditur monachis.

1085. Ob. Gregorius papa.

*A. C.*

1086. Ob. Andraeas abbas.
1087. Arabes venerunt in Ispania. Translatio S. Nicolai episcopi in Barim.
1092. Obiit Ermengaudus comes Urgell. obiit Bernardus episcopus Urgell.
1094. Ob. Sancius rex; et fuit fames magna in toto mundo.
1095. Ob. Guillelmus comes Ceritaniae. Bertrandus episcopus Berc. et Dalm.
1096. Concilium Urbani papae.
1097. Ob. Salomon monachus et episcopus. Osca civitas capta est.
1098. Ob. Frotardus abbas S. Poncii. Fulchoni Barchin., et Berengarius archiepiscopus Tarragon.
1101. Terremotus Februarii VI. id.
1102. Ob. Bernardus abbas Riopol.
1106. Ob. Aianricus rex Alamania.
1107. Ob. Benedic. abbas Rivipull.
1109. Ob. Aldephonsus rex Ispaniae, et Philipus rex.
1110. Ob. Arnallus episcopus Vici.
1111. Ob. Gaudfredus abbas. Ob. Bernardus comes Bisul.
1112. Raymundus episcopus Gerundae.
1113. Hoc anno intravit comes Raymundus cum Pisis Majoricas. Pisani magna vi navium Hispania intrant.
1114. Raymundus episcopus Barch. obiit. Monasterium S. Joannis redditur clericis. Devotae inde subducuntur.
1117. Ob. Bernardus comes Ceritaniae.
1118. Caesaraugusta capta est à rege Aragonense.
1119. Gelasius papa obiit.

*A. C.*

---

1121. Ricardus archiepiscopus Narbonae.

1130. Honorius papa.

1131. Ob. Raymundus comes Barchin. Hìc sepultus est.

1134. Ob. Aliphonsus rex Aragonensis.

1137. Ob. Ollegarius archiepiscopus.

1139. Raymundus comes Barchinonensium suscepit regnum Aragonensium.

1140. Comiti Barchin. provinciae ducatus datur, et Bisulduni comitatus, et regi Aragon. imperium Tolete. Papa romanus ab Leniannico imperatore captus dolo incaute, pro dolor! non observanda jurat. Raymundus dux provinciae et comes Barchin. cum Pisis Majoricas intrat. Moabitae indignati hujus rei causa Barchinonam venerunt: à Cervaria usque ad praefatam civitatem cuncta perderunt, et vastarunt. Post hoc de à paucis devicti praelio occiduntur in loco qui dicitur Martorell.

1143. Ob. Petrus episcopus Urgell. et Innoc. papa II. ob. Celestinus papa II. et Arnallus episcopus Barchin. et Guifredus episcopus Rotensis.

1144. Obiit Lucius papa, et Gregorius archiepiscopus Terragon. et abbas Cuxanensis: et Berengarius Raymundi comes provinciae occissus est.

1146. Ob. Raymundus Ausonens. episcopus, et Berengarius Gerundensis.

1147. Almeria capta est.

1148. Tortosa capta est à Raymundo comite et à Jenuensibus.

1149. Hilerda capta est ab eodem R., et Frago uno die VIIII. kal. Octobr.

*A. C.*

1152. Factus est terraemotus ante primam luna VI.... captae sunt ; et terraemotus per II. dies factus est omni hora VI....II. id. et III. idus Decembris.

1153. Ob. Eugenius papa III. et Poncius comes Empuriarum est.

1154. Ob. Ermengaudus comes in Castella.

1155. Ob. Anastasius papa IIII.

1157. Ob. Ildephonsus imperator Yspaniarum.

1158. Ob. Sancius rex puer filius Ildephonsi praedicti.

1159. Ob. Adrianus papa IIII.

1160. Ob. Berengarius Gerundens. episcopus.

1161. Luna obscurata est, et sanguinea visa est II. idus....

1162. Hoc anno inclitus Marchio Raym. Berengarius, comes Barchin., princeps Aragonum, et dux provinciae, apud vicum S. Dalmacii....Claruit miraculis. Requiescit Rivipulli.

1168. Ob. Guillelmus episcopus Gerundens. et Gauzfredus abbas Rivipulli bonae memoriae.

1171. Artallus episcopus Elenens. Thomas archiep. sub rege Angliae occissus est.

1172. Ugo archiep. Terragonen.

1173. Ugo Impuriensis comes, et....comes Rusilionis. R'. abbas.

1174. R. Fulconis occissus est.

1176. Guillelmus Terracon. archieps.

1177. Hoc anno multi viderunt....terminum Cervariae.

1178. Guillermus Petri Alordensis episcop.

1179. Concilium Alexandri papae M.Ↄ.XXIII. eporum.

1180. Ludovicus Junior.

1181. Raymundus comes. Alexander papa.

1183. Petrus episcop. Caesaraug.

*A. C.*

1184. Ermengaudus comes. Gaucerandus de Sales.
1185. Petrus Ausonens. episcop. et Lucius papa.
1186. Guillelmus Helenensis episcopus, et Stephanus episcopus Oscensis.
1187. Hoc anno fuit capta terra Jerosolimorum à sarracenis. Urbanus papa; post hunc Gregorius papa.
1188. Bernardus episcopus Barchin.
1191. Clemens papa III. = Capta Salandino fuit anno crux sacra trino. = Res polus orrendas dat mercurii VI. kalendas.

*Hucusque chronicon, quamquam dispositae computorum tabulae conspiciantur usque ad eram 2051. annum scilicet Christi 2013.*

## *Dotatio prima ecclesiae Dertusensis, facta à Raymundo Berengarii, comite Barchinonensi.*

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA EX CARTA AUTOG. MEMBR. IN ARCH. ECCL. DERTUS.

## MONITUM.

„Scias, lector, oportet, Gelasium papam II litteris ad S. Oldegarium Tarraconensem archiepiscopum datis anno 1118 statuisse, ut cum Dertosa urbs è maurorum manibus, dante Deo, eriperetur, eam velut suburbanam parrochiam Tarraconensis ecclesia possideret, donec metropolis illa pristinas vires et splendorem recuperaret. Cùm autem id contigit armis et potentiâ Raymundi Berengarii, comitis Barchinonensis; statim Dertusensis ecclesia, decimae et jura Bernardo Tarraconensi archiepiscopo datae

sunt, quem praesens instrumentum Dertusensem episcopum vocat, idque *concessione romani pontificis*. Statim, inquam, nempe anno 1148, eodem quo capta est Dertosa, vel ut plurimum, et ut nos quidem arbitramur, tribus prioribus mensibus anni sequentis, in quibus juxta morem illius temporis perdurabat annus ab Incarnatione 1148 ad usque 25 diem Martii. Numquam enim Raymundus seipsum Dertosae Marchionem dixit, nisi post occupatam eam urbem, quod postremâ die Decemb. anni 1148 accidit. Ab eo ergo tempore usque ad annum 1151 quo consecratus est Gaufredus primus Dertosae episcopus, remansit haec ecclesiae Tarraconensi subdita velut suburbana parrochia. Quod ideo monuimus, quoniam historici plures, praesentis cartae notitiâ carentes, praedictum Dertusensis ecclesiae parrochialem statum negaverunt."

Quoniam ad celsitudinem principum specialiter spectare videtur de temporalibus bonis, quae divina clementia temporaliter illis habenda concedit, ecclesiam Dei dotare, atque honorificè ditare; idcirco ego R. Berengarii, Barchinonensium comes, Aragonensium ac Dertosae princeps et Marchio, concedo Domino Deo, et ecclesiae sanctae Dei Genetricis Mariae, quae condam apud Dertosam celebris sedes pontificalis fuit habita, et erit deinceps divinâ praestante clementiâ; et tibi, Bernarde, Tarraconensis archiepiscope, ejusdemque civitatis Dertosae, concessione romani pontificis, episcope, tuisque successoribus episcopis, in eadem civitate Dertosâ substituendis, omnes decimationes, et primitias christianorum habitantium et

laborantium in territorio totius episcopatus Dertuosae, et omnes decimationes decimarum sarracenorum habitantium et laborantium in omni episcopatu Dertosae. Praeter hoc concedimus supradictae ecclesiae, et tibi omnia praedia, et possessiones quae major meschida sarracenorum ejusdem civitatis hactenus habuit; et II. furnos in eadem civitate, unum ad opus canonicorum, et alterum ad mensam pontificis.=Anno ab Incarnatione Domini M.C.XLVIII.

Sig+num Raymundi comes.

Sig+num Guillelmi Raymundi Dapiferi.

Sig+num Geraldi de Rupiano.

Sig+num Otonis.

Sig+num Raymundi de Podio alto.

Sig+num Bertrandi de Merola.

Sig+num Guillelmi de Castro vetulo.

Sig+num Arberti fratris ejus.

Sig+num Bernardi de Castelleto.

Bernaldus Vieja, qui hoc rogatus scripsit die annoque praefixo.

*Donatio loci Vallis clarae, qui prius dicebatur* Abincabacer, *facta à Raymundo Berengarii, comite Barch. abbati et monasterio Montis Flabonis* (*).

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

In nomine Dei Patris omnipotentis. Ego Raymundus (**), comes Barchinonensis, princeps Aragonensis, et Tortosae

(*) Fundatum fuit monasterium hoc Flabonis montis (*Flabemont*) in dioecesi Tullensi (*de Toul*) in Galliâ Belgicâ anno 1132 à Widone de Acrimonte, comprobantibus Hugone comite Vadani-montis et Adelinâ de Burgundiâ ejus uxore, à quibus ipse Wido locum in feodum tenebat. Posita haec abbatia, filia Bellae-vallis in Argona, mater et ipsa Bonifageti et Stivagii, duabus ab oppido Marchia, totidemque à thermis Borbonae leucis, lepidum in agro feracissimo situm habet. Quieti ac paci novorum indigenarum providendi gratia Henricus Tullensis episcopus anno 1140 sancivit, ut tam illis quàm eorum posteris res indultae, perpetuò firmae et inconvulsae remanerent. Largitus quidem est anno 1161 quidquid juris habebat in ecclesiâ S. Juliani, infra cujus terminos est abbatia: dedit insuper anno sequenti ejusdem ecclesiae decimas. Pluribus summis pontificibus, scilicet Eugenio III, Clementi III et Honorio III privilegia huic monasterio concedere, bonaque confirmare placuit. Plures etiam alii Tullenses pontifices, nempe Petrus de Brixeio, Odo de Vadano-monte, Reginaldus de Senlis, Thomas de Bourlemont beneficentiae suae eximia specimina exhibuerunt. Horum ceterorumque benefactorum chartas et privilegia publici juris fecit abbas Stivagii *Annal. t. I. prob. col. DXLVI. et seq.* V. Gallia Christ. t. XIII. col. 1133. seq.

(**) Post Ranimirum monachum, finitâ serie Aragoniae regum, qui ab Eneco Aristâ per viros descenderant, ad Petronilam Ranimiri filiam jus regni devenit, uxorem hujus Raymundi Berengarii, comitis Barchinonensis, qui Aragonum non rex, sed princeps quoad vixit vocatus est, cùm Petronila reginae nomen et dignitatem retinuerit. V. Zurit. *Annal. lib. II. cap. I.*

marchio, ob remissionem meorum peccaminum, et salutem animae meae, et parentum meorum, dono et offero Domino Deo, et sanctae religioni, et ordini de praemonstr., et ipsi cenobio Sanctae Mariae Flaboni Montis, atque ipsius abbati venerabili Stephano (*), fratribusque ibidem Deo servientibus, praesentibus et futuris, locum ipsum qui antea dicebatur *Abincabacer*, nomine meo, et jussu et consensu Domini Raymundi Berengarii, comitis Barchinon., regnique principis Aragonensis, et gloriossimi *nitoris* Ispaniae, vallem claram, decimas cum omni termino, honore, et circuitu eidem loco pertinentibus. Praedictam verò donationem pro mea devotione facio, ut praedicti cenobii fratres construant et aedificent ibi in honore Dei ecclesiam et abbatiam, et cum beneficio meo, et aliorum bonorum hominum; et ibidem oratoria et *loca* sanctissima construant pro servitio Dei, et fidelium animarum salute. Et monasterium quod fuerit ibi aedificatum, habeat et possideat praedictum locum cum omni-

(*) Stephanus hic eductae è Bella-valle coloniae à Philippo abbate datus est dux et pater. Hic ab Henrico Tullensi episcopo res monasterii ratas haberi sategit ann. 1140. Obtinuit ann. 1148 ab Eugenio III collatarum possessionum approbationem. Parochialem ecclesiam S. Juliani, in qua sita est abbatia, ann. 1161 consecutus est à praefato Henrico praesule, qui postero anno decimas ejusdem ecclesiae, à Petro milite S. Juliani traditas, ex intuitu duarum ipsius proneptum, quae apud Flabonismontem religionis susceperant habitum, episcopali auctoritate fulsit. Ab ipso enim monasterii exordio in vicino parthenone Deo se consecrarunt tot virgines, ut aedes ampliare necessum fuerit. Praedia banni *Xersel* partim pretio comparata, partim est liberalitate Theodorici de S. Elpidio accepta, episcopali auctoritate monasterio adnecti curavit ann. 1179. Haec et alia ejus gesta narrant scriptores Galliae christianae (*loc. laud. col. 1134.*). Extremum diem obiit ann. 1180 clarus meritis.

bus suis pertinentibus haereditario jure....ad fidelitatem et servitium Dei in saecula saeculorum. Si qua autem persona praesentem donationem infringere, vel disrumpere temptaverit, nil proficiat, sed duplâ compositione solutâ, iram Dei incurrat, et in inferno inferiori cum Judâ traditore damnatus perpetuae subjaceat morti. Et haec donatio insuper omni tempore firma stabilisque permaneat. Facta carta VII. calend. Maii, stante domno Raymundo comite jam dicto in Podio de Garden cum militiâ suâ in obsidione Ilerdae, anno Dominicae Incarnationis M.C.XLVIIII. in prasentiâ subscriptorum hoc videntium et audientium.

Sig✠num Raymundi comes.

Sig✠num Bernardi Tarrach. archiepiscopi.

Sig✠num Guillelmi Raymundi Dapiferi.

Sig✠num Bernardi de Bello loco.

Sig✠num Raymundi de Podio alto.

Sig✠num A. Mironis comitis Palearensis.

Sig✠num Pontii Scriptoris.

Sig✠num Guillelmi de Castro vetulo.

Sig✠num Nathalis subdiachoni, qui jussu Domini comitis hoc scripsit.

*Magistri ordinis hospitalis S. Johannis in Jerusalem, ad fratres suos Dertusae residentes, epistola, quâ eos ad servanda episcopo Dertusensi jura hortatur (a).*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

R. pauperum Christi hospitalis Jerusalem humilis minister, P. Umberti, et ceteris fratribus, qui cum eo sunt cle-

(*a*) Hujus epistolae nec autographum, nec integrum exemplar nacti sumus: quoniam autem plura alia instrumenta su-

ricis, et conversis, salutem in Christo. De oratorio S. Johannis de Campo, et Cimiterio, quae prope Tortosam habemus, per obedientiam vobis mandamus, ut quod archiepiscopus Tarrachonens. et comes Barchinonens. et G. Raymundi Dapifer, vel duo ex istis simplici testimonio vobis faciendum esse dixerint vel verbo, vel scripto, vos inde sine cunctatione faciatis. Praeterea parrochianis episcopi poenitentiam non detis, nec excommunicatos suos vivos aut mortuos recipiatis. Quòd si quis excommunicatum scienter receperit, sciat quòd pro fratre hospitalis eum amplius non habebimus. Praeterea de nuptiis parrochianorum suorum, sive de ceteris, quae ad jus parrochiale pertinent, salvis privilegiis romanae ecclesiae sanè intellectis, vos non intromitatis.

*Raymundi, comitis Barchinon., epistola ad archiepisc. Tarracon., et Guillelmum Dapiferum data, quâ eos hortatur ut controversiam de campo S. Johannis, inter episcopum Dertusens. et fratres templarios agitatam, dirimant, et componant.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

R. comes Barchinonensis, venerabili amico B. Dei gratia Tarrachonensi archiepiscopo, et G. Raymundi Dapifero, salutem. Rogando vos moneo ut visis his litteris conveniatis episcopum Dertusensem, et P. Umberti, et alios fratres hospitalis, qui sunt apud Emposta, et diffiniatis inter illos contentionem illam, quam habent de ecclesia et de terris S. Johannis; et dicatis veritatem inde

per hac controversiâ templarios inter et episcopum Dertusensem hic attulimus, praesenti locum dare voluimus, quod ad rem licet mancum ut puto, haud parum conducit.

sicut vidistis, et audistis, et etiam fecistis. Et ego pono hoc negotium totum in vobis, ut quidquid vos inde dixeritis, ratum habeam et firmum inter eos. Avete, et hoc ita perficite.

*Adriani papae IV bulla in favorem ecclesiae Dertusensis.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis clericis, et laicis per Dertusensem episcopatum constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc supernae miseratio Deitatis vos de diversis mundi partibus congregavit, ut confiteamini nomini sancto ejus, et talia studeatis semper pietatis opera exercere, quòd omnipotens Deus, qui vocavit vos de tenebris in ammirabile lumen suum, in vestris debeat delectari. Inter omnia autem opera sanctitatis nichil est unde Dominum magis propitium et placatum vobis reddere valeatis, quàm si ecclesiasticas personas, et religiosa loca diligere, et eis studueritis sua jura illibata, et integra conservare. Inde utique est quòd universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, monemus, et exhortamur in Domino, atque in peccatorum remissionem vobis injungimus, ut venerabili fratri nostro Dertusensi episcopo, quem nos tamquam virum honestum et religiosum debitâ benignitate suscepimus, et sincerae charitatis brachiis amplexamur, omnimodam obedientiam, ac reverentiam impendatis, et ecclesiam Dertusensem, quae quantò magis rudis, et novella plantatio, tantò amplius fidelium christianorum solatiis indiget, adjuvare, honcrare, diligere, ac manutenere omninò studeatis; et praedicto fratri nostro episcopo decimas, primitias, oblationes, defunctiones, et cetera jura ecclesiastica sine

aliqua contradictione reddatis. Quatenus per haec, et per alia bona opera, quae Domino auxiliante feceritis, inmarcessibilem coronam acquirere, et ad triumphalia castra regis aeterna possitis, divinâ suffragante gratiâ pervenire. Praeterea vos nosse volumus, nos tam decimas, quàm omnia parrochialia jura de insulâ S. Laurentii Januensium praefato episcopo et ecclesiae Dertusensi auctoritate apostolicâ reddidisse (a). Si quis verò ea, vel alia jura sua ipsi auferre praesumpserit; eum excommunicandi eidem episcopo liberam concessimus facultatem. Dat. Beneventi XIII cal. April.

*Adrianus papa IV. ecclesiam Dertusensem sub apostolicae sedis protectione suscipit, ejusque statuta, et possessiones confirmat* (b).

EX AUTOGR. IN ARCH. ECCL. DERTUS.

Adrianus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gaufrido Dertusensi episcopo, ejusque successoribus, canonicè substituendis, in perpetuam memoriam. Cum ex injuncto nobis à Deo apostolatus officio, quo cunctis

(a) Insula haec magni et nominis et praetii, ex Iberi fluentis ante Dertosam relicta; quae modò mutato ejus fluminis alveo evanuit. Porro Raymundus Berengarii, comes Barchinon. illius decimas Januensibus concesserat, seu verius ecclesiae S. Laurentii Januensium, in grati animi testimonium, ob acceptum ab illis auxilium in Dertosae expugnatione. Posteà tamen Januenses ipsi, Raymundi munificentiam imitaturi, Dertusensi ecclesiae restituere, idque sub sedis apostolicae approbatione voluerunt.

(b) Hanc bullam vulgatam reperies in Hisp. sacra T. XLII. p. 303, typorum tamen aliisque mendis faedatam. Maluimus ergo ad autographi fidem iterum describere.

Christi fidelibus, auctore Domino, praeeminemus, singulorum paci, et tranquillitati debeamus intendere; praesertim pro illorum quiete oportet nos esse sollicitos, qui pastorali dignitate sunt praediti, et ad officium pontificale promoti. Nisi enim nos, eorum utilitatibus intendentes, ipsorum jura, in quantum, Deo permittente, possumus, integra conservemus, et auctoritate apostolicâ eos ab iniquorum hominum incursibus defendamus; de illorum salute non vere poterunt esse solliciti, qui sibi ad regendum, Domino sunt disponente commissi. Ea propter, venerabilis in Christo frater Gaufride episcope, tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, te, et Dertusensem ecclesiam, cui Deo auctore praeesse dignosceris, sub beati Petri, et nostrâ protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut in ipsâ ecclesiâ ordo canonicus, qui secundum Deum, et beati Augustini regulam, et consuetudines ecclesiae Sancti Ruphi ibidem noscitur institutus, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascunque possessiones, quaecunque bona eadem ecclesia in praesentiarum justè, et canonicè possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: Granatellam, Fabarium cum pertinentiis suis, et ea, quae praedicta ecclesia in Bitem, et in Anasteth possidet. Quaecunque etiam venerabilis frater noster Bernardus Terraconensis archiepiscopus in decimis, primitiis, oblationibus, et defunctionibus, assensu comprovincialium episcoporum, et illustris viri Raymundi, comitis Barcinonensis, tibi noscitur concessisse, et annuum redditum centum Bizantiorum, quos

idem comes pro indumentis canonicorum concessit tibi, et per te ecclesiae tuae, nichilominus confirmamus. Decimas insuper omnium rerum ipsius episcopatus, quae decimari debent, primitias, et omnia ecclesiastica jura praefatae ecclesiae ex integro concedimus, et auctoritate apostolicâ roboramus; statuimus quoque, ut episcopalis sedes Dertusae habeat, et quietè possideat omnes terminos suì episcopatus, sicut melius umquam aliquis rex tempore sarracenorum regnum Dertusae possedit, vel possidere debuit. Sancimus autem, ut ipsius ecclesiae canonici tibi, tuisque successoribus debitam obedientiam, et reverentiam promittant et exhibeant, atque professionem faciant. Decernimus etiam, ut in memoratâ ecclesiâ nullus in episcopum eligatur, nisi canonicus, et canonico habitu indutus, religionis amator, et litteris eruditus, qui gregi sibi commisso et praeesse noverit pariter, et prodesse. Administratoriae verò jam dictae ecclesiae personae administrationes sibi creditas, non quasi haereditario jure possideant, sed ad arbitrium episcopi, et fratrum, aut in claustro resideant, aut alias administrationes cum obedientiâ sine contradictione suscipiant. De coetero statuimus, ut hospitali pauperum Christi, quod ad communem indigentium utilitatem constructum est, tam episcopus, quàm canonici Dertusensis ecclesiae de omnibus possessionibus, et reditibus suis decimas cum integritate persolvant. Prohibemus quoque, ut nulli ecclesiasticae, vel seculari personae liceat, nisi auctoritate nostrâ munita fuerit, in toto Dertusensi episcopatu absque tuâ, et successorum tuorum licentiâ ecclesias construere, vel constructas possidere, vel parroquialia sibi jura usurpare. Si quis autem parroquianus tuus, possessiones, et bona saepae dictae ecclesiae minuere, vel auferre praesumpserit, seu in aliquo excesserit, unde sit excommunicationis vinculo innodan-

dus, liceat tibi auctoritate nostrâ eum usque ad condignam satisfactionem canonicâ sententiâ coercere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat supradictam ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia, et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ sedis apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit; secundò, tertiòve commonita, nisi praesumptionem suam congruâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetratâ iniquitate cognoscat, et à sacratissimo corpore, et sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum judicem praemia aternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Hadrianus, catholicae ecclesiae episcopus.

Ego Guido, presbyter cardinalis tit. Sancti Chrysogoni.

Ego Haubaldus, presbyter cardinalis tit. Sanctae Praxedis.

Ego Ymarus, Tusculanus episcopus.

Ego Centius, Portuensis, et Sanctae Ruffinae episcopus.

Ego Odo, cardinalis diaconus Sancti Georgii ad velum aureum.

Ego Guido, diaconus cardinalis Sanctae Mariae in Porticu.

Ego Hiacintus, diaconus cardinalis Sanctae Mariae in Cosmydyn.

Ego Odo, diaconus cardinalis Sancti Nicolai in carcere Tuliano.

Ego Bernardus, presbyter cardinalis tit. Sancti Clementis.

Ego Octavianus, presbyter cardinalis tit. Sanctae Ceciliae.

Ego Gerardus, presbyter cardinalis tit. Sancti Stephani in Coelio Monte.

Ego Henricus, presbyter cardinalis tit. Sanctorum Nerei, et Achillei.

Ego Joannes, presbyter cardinalis tit. Sanctorum Silvestri, et Martini.

Dat. Beneventi per manum Rolandi, sanctae romanae ecclesiae presbyteri cardinalis, et cancellarii, decimo tertio kalendas Aprilis, indictione IIII. Incarnationis Dominicae anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto, pontificatus vero Domini Hadriani papae quarti, anno secundo (a) loco sigi✠lli pendentis.

*Adriani papae IV ad Raymundum Berengarii, comitem Barchinonens. epistola, super dotatione ecclesiae Dertusensis, et aliis rebus.*

EX ARCH. EJUSD. ECCL.

*MONITUM.*

Hanc epistolam idcirco publici juris facere decrevimus, tum quia nullus eam quod scimus protulit, tum quoniam

(a) Cum Adrianus hic pontificatum ceperit die 3. Decemb. ann. 1154, videbitur fortasse alicui non bene congruere annum sui pontificatus secundum cum die 20 Martii anni 1155. Sed sciendum est morem tunc fuisse annos ab Incarnatione Domini, die scilicet XXV. Martii, supputandi, et quidem completè et posticipatè, ut ajunt; quo fit

epistolae item ineditae Raymundi comitis occasionem praebuit. Illam ad hunc annum dedimus, quoniam licet anni nota careat, eodem tamen loco et die data est, quo praecedens ipsius papae bulla. Descripsimus autem, ut candidè fateamur, non ex autographo, quod nullibi reperire hucusque licuit, sed ex exemplari vetusto, haud parvae fidei et auctoritatis.

„Adrianus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro R. Barchinonensi comiti, salutem et apostolicam benedictionem. Catholicorum principum est, et eorum qui Deum habere desiderant in suis actibus adjutorem, pia, et religiosa loca diligere, ac ea bonis temporalibus, ut aeterna in futuro percipiant, ampliare. Inde est quod nobilitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus Dertusensem ecclesiam, quae religionis, et honestatis habitu decoratur, bonis tibi à Deo collatis dota.... (certe *dote afficias*), et tanta ei juxta promissionem tuam beneficia largiaris, ex quibus tam episcopus, qui ibidem ministrat assiduè, quàm XX. fratres in conventu, qui pro te Deum valeant exorare, sufficienter necessaria corporis, et vitae habeant alimenta, sufficientem quoque locum ad aedificandam ecclesiam, officinas canonicorum, et domos in usus episcopi eidem ecclesiae pro animae tuae salute concedas. Quod si nolueris effectu operis prosequente complere, ei ad claustrum suum licentiam dabimus redeundi. In castellis autem supernâ tibi miseratione concessis, meschitas cum possessionibus, quae prius sarracenorum fuerant, ecclesiae Dertusensi cum integritate restituas, ex quibus vitae necessaria sacerdotibus valeant ministrari. Noverit quoque nobilitas tua, et omnes memora-

ut annus 1155 ad usque XXV. Martii 1156 perduraret. Unde XX. dies ejusdem mensis et anni verè ad annum secundum illius pontificatus spectabat, atque ad indictionem IV.

ti episcopi parrochiani nos tam decimas, quàm omnia parrochialia jura de insulâ Sancti Laurentii Januensium praefato episcopo, et ecclesiae Dertusensi auctoritate apostolicâ reddidisse. Quae si quis auferre presumpserit, ipsum excommunicandi eidem episcopo liberam concessimus facultatem. Te quoque coadjutorem super hoc habeant, et omnibus modis defensorem. Ad haec magnificentiae tuae praesentium significatione injungimus, ut quod de ecclesiâ Sancti Joannis, cimiterio, et campo tu et G. Raymundi Dapifer tuus in veritate novistis, hoc idem pietatis intuitu, et religionis amore venerabili fratri nostro Terrachonensi archiepiscopo verbo, vel scripto, quia partes inter se taliter convenerunt, firmiter astruatis. Praeterea strenuitatem tuam rogamus, monemus et exortamur attentius, ut ipsum episcopatum, quem pro tuorum venia delictorum construere incepisti, more bonorum, et nobilium principum amplificare studeas, atque à tam laudabili et digno proposito usque ad consummationem nullâ ratione desistas. Datum Beneventi XIII. kal. Aprilis."

*Litterae Raymundi Berengarii, comitis Barchinonens., ejus nominis IV, ad Adrianum papam itidem IV.*

EX EXEMPL. VETUSTO MEMBRAN. IN ARCH. ECCL. DERTUSENS.

Venerabili domino, et patri suo dilectissimo, christianae religionis Dei gratiâ summum apicem obtinenti, sanctitatis ejus homo miles, et servus R. comes Barchinonensis, et princeps Aragonensis, totius salutis summam, ac totum totum seipsum. In adquisitione Ilerdensis et Dertusensis ecclesiae laborem ac sudorem nostrum partim oculis vestris vidistis (*a*), non visa relatione percepistis. Hoc au-

(*a*) Forte Adrianus in Hispaniam venerat, circa ann. 1148 ac sequenti, quibus Dertosa et Ilerda urbes captae sunt.

tem opus Dei, non nostrum fuisse, et scimus, et credimus; ipsa quoque ad honorem, ac servitium (Dei), et ad augmentationem sanctae romanae ecclesiae addita esse gaudemus. Nos siquidem plurimis occupati negotiis, cum ad aedificationem ecclesiarum plenariè sufficere nequeamus, pro constitutione, et institutione, seu informatione Dertusensis ecclesiae, sanctae majestatis vestrae prostrati pedibus, etsi non corporali praesentiâ, mentali quâ possumus humilitate, obnixè supplicamus, ut in quibus vobis visum fuerit, et benignitati vestrae celsitudinis Dertusensis episcopus exposuerit, praefatae ecclesiae post Dominum primum vos fundamentum ponatis. Contentionis de Campo Sancti Johannis inter episcopum Dertusensem, et hospitalarios planam ac indubitabilem discussionem vobis annuntiamus; quod archiepiscopus Tarraconensis, et Guillelmus Raymundi missi à nobis donaverunt medietatem campi illius ad necessitates pauperum Christi advenientium in civitatem, et transientium, sive ibidem infirmantium; alteram medietatem ad cimiterium Dertusensis sedis (*a*): hoc idem, si vos jusseritis, juramento probare parati: et nos ita concedimus. De quibus prolixè vobis scribere supervacaneum duximus: de revelatione scilicet B. Ollegarii (*b*) olim patris vestri (*c*): de episcopis eccle-

(*a*) Incertum quo die et anno latum sit hoc judicium; unde et nos hujus et praecedentis cartae epocam determinatam haberemus. Extat certe Guill. Raymundi Dapiferi fides de hujus judicii prolatione, quam hoc eodem anno dedit; ast de tempore lati judicii silet.

(*b*) Forte miraculum indigitat ad S. Ollegarium spectans, qui recens vitâ functus erat.

(*c*) Hinc certissimè liquet hanc epistolam ad Adrianum papam IV. directam. Nullus quippe pontifex toto vitae Raymundi comitis tempore sedem romanam tenuit, cujus S. Ollegarius pater dici posset, nisi hic Adrianus, qui monasticam vitam in domo S. Ruphi

siarum vestrarum, quae sunt in partibus nostris, per vos ad religionem informandis: de quaerimoniâ, quam habemus adversus episcopum Pampilonensem: de praecibus, quas per archiepiscopum Ebredunensem, per episcopum Forojuliensem, per nuntium nostrum magistrum Seguinum, et per litteras nostras paternitatis vestrae sublimitati destinavimus. De his inquam, et de aliis multis, quae hic non apponimus, praedicto Dertusensi episcopo, consilii nostri secretario intimo, melius quam nos vos ipsum novistis (*a*), sicut nobis credere poteritis. Item, itemque valeat sanctitas vestra. Servet vos Deus per tempora longa.

*Donatio loci de Abincabacer, quam fecit Fredericus, prior ecclesiae S. Mariae ejusdem loci, de consilio abbatis et fratrum Montis Flabonis, ecclesiae Dertusensi.*

EX ARCH. ECCL. S. MARIAE DERTUS.

*MONITUM.*

Donaverat Raymundus, comes Barchinon. hunc locum de Abincabacer abbati et fratribus Montis Flabonis ord. praemonst. anno 1149; ea conditione ut monasterium et abbatiam sui ord. ibi construerent. Quod cùm praestare nequirent aut nollent, ipsi fratres illum locum ecclesiae Dertusensi dederunt praesenti instrumento; quam rem idem comes confirmavit anno sequenti, ut infra adnotabimus.

Quoniam fidelium donationes ecclesiae semel traditae in secularem donationem nullatenus debent postea redigi;

Avenione professus fuerat, quo tempore S. Ollegarius ibidem abbatis munere fungebatur ab anno circiter 1110 ad 1116.

(*a*) Uterque scilicet pontifex monasterium S. Ruphi Avenion. simul incoluerat.

eâ auctoritate muniti, signo sanctae ✠ hanc cartulam corroborantes, tam vivorum praesentiae, quàm futurorum posteritati scripto commendare curavimus: quòd ego Fredericus, prior S. Mariae de Valle Clara (a), et communicato consilio dompni Stephani abbatis Flabonis Montis, et fratrum nostrorum, litteris ejusdem abbatis nobis significato; sic, inquam, ego Fredericus, divinae pietatis, et ecclesiasticae religionis intuitu, dono Deo, et ecclesiae S. Mariae Dertusensi, et tibi, Gaufride, et successoribus tuis, et canonicis inibi Deo servientibus, praedictum locum de *Valle Clara*, qui antea *Abincabacer* dicebatur. Hunc praenominatum locum cum omnibus pertinentiis suis, sicut comes Barchinonensis ipsum nobis donavit, sine fraude, sine dolo, sicut melius dici vel intelligi potest, arare (f. *à jure*) nostro alienantes, tradimus in dominium et potestatem jam dictae ecclesiae Dertusensis, ut ipsa saepe dictum locum teneat integriter, et in perpetuum jure ecclesiastico possideat. Actum est hoc VI. calend. Januarii anno ab Incarnatione Domini M.C.LVIII.

Sig+num Friderici, prioris de Valle Clara, qui hoc donum feci, firmarique rogavi.

Sig+num Johanis conversi.

Sig+num Dominici clerici.

Sig+num Geraldi de Salvanieto.

Sig+num G. Aymerici.

Sig+num G. Malloni.

Sig+num Bernardi de Sancto Poncio.

Sig+num Raydulfi de Nives.

Sig+num Johanis Ricardus, qui hanc chartam scripsi die et anno ut supra.

(a) Is ipse locus est qui primùm dicebatur *Abincabacer*.

*Donatio loci de Abincabacer ad ecclesiam Dertusensem.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

In nomine Domini nostri Jesuchristi, signo sanctae ✠ hanc cartam corroborantes, tam vivorum praesentiae, quàm futurorum posteritati notificamus: quòd ego Raymundus comes Barchinonensis, princeps Aragonensis, Ilerdae ac Dertusae Marchio, locum Dabincabacer, quem prius donaveram Stephano, abbati Montis Flabonis, et fratri Frederico canonico suo (*a*), cum jam dictus locus ad institutionem sui ordinis, Prati, scilicet, Monstrat, per eos informari non possit, amonitione et rogatu ipsorum inde prorsus abeuntium. Sic inquam ad honorem Dei, et ad laudem nominis ejus, ut divina scilicet ibi officia celebrentur, sic dono Deo et ecclesiae S. Mariae Dertusensi, et G. ejusdem dicto episcopo, et canonicis inibi Deo servientibus, eorumque successoribus, praedictum locum plenariè et integrum, sicut melius dici vel intelligi potest, et sicut donaveram ipsum prius saepe dictis fratribus Montis Flabonis. Factum autem hoc apud Oscam IIII. nonas Januarii, anno ab Incarnatione Domini M.C.LVIII.

Sig+num Raymundi comes.

Sig+num Bernardi, Tarraconensis archiepiscopi, salvo jure Tarraconae ecclesiae.

Sig+num Frederici, qui hoc donum firmo et laudo, et ab aliis firmari rogo.

(*a*) Facta fuerat haec donatio anno 1149, ea conditione ut ibi monasterium ordinis praemontratensium construerent: quod cum praestare nequivissent, et ipsi fratres prius ecclesiae Dertus. donaverunt, ut in praecedenti instrumento patet, quod modò Barchinonensis comes confirmat.

Sig+num A. de Turre rubea.

Sig+num Guillelmi Castri vetuli.

Sig+num Mir de Luzan.

Sig+num Guillelmi de Cerveria.

Sig+num Raymundi de Mulnels.

Ego R. Tarraconensis ecclesiae presbyter canonicus, subscribo.

Sig+num Johannis diachoni, et scribae comitis, qui hanc scripsit die et anno quo supra.

*Consecratio eccl. S. Valentini in comit. Bisuldun.* (*a*).

Anno Dominicae Incarnationis M.C.LXVIII. regnique regis Ledovici Junioris XXXII. XV. calendas Decembris venit dompnus Poncius, Dei dignatione Dertusensis episcopus, et abbas Sancti Johannis, jussu et praecibus venerabilis Guillermi Gerundensis episcopi ad consecrandam ecclesiam in honore Sancti Valentini martyris et presbyteri, quae sita est in comitatu Bisuldinensi in parrochia Sancti Christophori de Beget, in Villare de Arça, quam incolae loci illius suis eleemosynis et laboribus aedificaverunt. Constituit vero praedictus episcopus, et sub vinculo anathematis posuit, ut nulla persona magna vel parva audeat praedictam ecclesiam violare, nec aliquem ad eam confugientem, vel aliquam rem inde violenter abstrahere. Et quisquis aliquid de suis facultatibus divino instinctu ad luminaria concinanda, vel ad necessaria ejus ecclesiae donare voluerit, ei de injunctâ sibi poenitentiâ XV. dies misericorditer relaxat. Praedictus vero episcopus, abbas Sancti Johannis, et abbas Campi rotundi dederunt Deo, et Beato Valentino quantum infra parietes continetur ecclesiae. =

(*a*) *Ex autograph. in reg. arch. Barcin.*

Poncius, Dei dignatione Dertosensis episcopus subs-✠cribo.=

Sig✠num Petri, abbatis Campi rotundi.=

Bissullunensis probat....atque sacerdos.=

Sig✠num Vincentii diachoni, qui haec scripsit die et anno quo supra.=

*Donatio Raymundi de Munels, fratris D. Poncii, episcopi Dertusensis, de quibusdam domibus et terris, sub certis conditionibus, et praecipuè, ut fiat convivium in anniversaria qualibet sui obitus die.*

EX AUTOGR. IN ARCH. ECCL. DERTUS.

Quoniam ea quae scripta notantur, melius memoria commendantur; ideoque in Dei nomine notum sit omnibus hominibus praesentibus, et futuris, quod ego Raymundus de Munels bono corde, et gratuita voluntate pro amore Dei et ad laudem sancti nominis sui, et propter remedium animae meae, et parentum meorum offero, dono, et in praesenti trado, atque concedo Domino Deo et Dertusensi ecclesiae Sanctae Mariae, et vobis Poncio episcopo, omnique conventui, cunctisque clericis ibidem Deo servientibus nunc et in perpetuum, illas nostras domos quas habeo in civitate Illerdae in parrochiâ Sancti Johannis de Platea; quae affrontant de duabus partibus in carrariis, et de tertia in domibus Bernardi de Tarrega, et de quarta vero parte in domibus Petri Galabrun, et Raymundi de Lileto. Iterum vobis dono, et offero alias domos quas habeo similiter in villa Illerdae juxta portam ferrizam de Zuta in parrochia Sancti Andreae; quae affrontant de una parte in domibus praedictae ecclesiae Sanctae Mariae, scilicet Dertosae, et de tribus verò partibus in carrariis

publicis. Adhuc dono et trado vobis quantum in praesenti habeo et teneo de illa haereditate quae fuit de Avulit Alchata sarraceno, scilicet terras et vineas ad ipsam Roal; excepto hoc quod jam ibi dedi ad Raymundum de Aragone et ad Petrum de Bordel. Et dono vobis illam meam Almuniam de Feraosa cum omnibus terminis suis et pertinentiis. Et cum hoc, quod praedicta Almunia habet in Fontaneto; et affrontat illa Almunia de una parte in termino illius turris Jerosolymitani hospitalis, et de alia in termino turris de Abinatea, et de alia vero parte in termino ipsius turris de Monte Leone, sicut ab hiis omnibus supradictis terminis et affrontationibus includitur et terminatur cum exitibus et ingressibus suis, et omnibus sibi pertinentibus, cum omni ejus integritate dono atque concedo Domino Deo, et Dertuensi ecclesiae Sanctae Mariae, et clericis ibidem Deo servientibus francum et liberum per cuncta saecula. Et cum hac praesenti carta donationis de meo proprio jure et dominio in potestate praenominatae ecclesiae Dertosae, et Poncii episcopi, et ejus canonicorum totum hunc supradictum honorem ad integrum trado atque delibero ad tenendum et ad possidendum sine vinculo, et contrarietate ullius hominis et foeminae. Sub tali autem conditione, quod post obitum meum episcopus et presbyteri ejusdem ecclesiae, et omnes alii presbyteri comorantes in villa Dertosae, faciant annuatim meum anniversarium, et pro animâ meâ et parentum meorum atque omnium fidelium defunctorum in tali die in qua anima recederit à corpore meo semper celebrent omnia divina officia defunctorum; et omnes clerici et pauperes illius civitatis Dertosae reficiantur in illa die de expletis et redditibus praedicti honoris; quod verò superaverit illius, in commune commodum illius ecclesiae, et conventus revertatur. Insuper volo, atque dispono, quod si praedictus Pon-

cius frater meus ejusdem ecclesiae episcopus mihi supervixerit, ille teneat in omnibus diebus suis et possideat omnem illum supradictum honorem ad integrum, et in die mei anniversarii faciat meum convivium sicut superius est scriptum annuatim. Post obitum vero suum, teneat totum ipsum honorem ille qui mensam canonicorum tenuerit Dertusensis ecclesiae, et qui anniversarium meum, et convivium sine omni dubitatione semper faciat. Sed episcopus et canonici Dertusensis ecclesiae habeant solummodo hospitium in praedictis domibus cum suis propriis expensis. Expleta et redditus illius honoris semper in potestate perveniant illius qui tabulam canonicorum obtinuerit, et meum servitium supradictum perficiet; et ita sit semper sine omni servitute remota. Omnia verò supradicta mihi adveniunt per apresionem et adquisitionem. Et ero inde semper praedictae ecclesiae legalis auctor et defensor contra omnes homines et foeminas. Et ego Poncius episcopus cum assensu, et voluntate totius conventus nostrae ecclesiae laudo et concedo tibi Raymundo de Munels, quod in diebus tuis habeas hospitium in praedictis domibus quotiescunque in villâ Illerdae venies cum tuis propriis expensis; et in singulis annis dum vixeris facias sensum pro illo hospitio quod tibi concedimus unum par gallinarum nostrae ecclesiae in Natale Domini. Si quis contra hanc cartam donationis ad disrumpendum venire voluerit, non ei valeat, sed in quadrum componat hoc, et postea firmum permaneat omni tempore, et tamdiu sit segregatus à corpore Christi donec dignè satisfaciat. Acta carta Illerdae tertio idus Decembris anno ab Incarnatione Domini M.C.LXXVIII.

Sig✠num Raymundi de Munels, qui hoc firmat et testes firmare rogat.

Sig✠num Petri Raymundi Bernardi,

Sig✠num Raymundi de Aragone.
Sig✠num Petri Sancti Poncii.
Sig✠num Willelmi de Favars.
Sig✠num Bernardi Sancti Laurentii.
Sig✠num Petri, filii Petri Raymundi Bernardi.
Sig✠num Willelmi de Bar; qui hujus rei sunt testes.
Geraldi sig✠num qui hoc rogatus scripsit die, et anno praescripto, et cum litteris rasis et emendatis in quinta decima et in vigesima prima linea.

*Celestini III breve in confirmationem omnium donationum ecclesiae Dertusens.*

EX ARCH. EJUSD. ECCL.

Celestinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Dertusensi episcopo (a) salutem et apostolicam benedictionem. Licet universorum votis, ex injuncto nobis officio teneamur adesse: fratrum tamen, et coepiscoporum nostrorum petitiones, et preces tantò benignius volumus exaudire, quantò inter alios locum obtinent digniorem, et quadam specialitate ad impetrandum suae petitionis affectum patrocinium sedis apostolicae meruerunt. Ea propter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus inclinati, possessiones, villas, molendina, judaeos, et omnia jura, et cemiteria, certis distincta limitibus, quae illustris memoriae Ildephonsus quondam rex, et charissima in Christo filia nostra Sanctia, illustris regina Aragonum, ecclesiae Dertusensi consideratione providâ contulerunt, sicut ea omnia justè possides, et quietè, et in autentico praedicti regis plenariè continentur, tibi, et per te ipsum

(a) Erat tunc Dertusensis episcopus D. Gombaldus de Sancta Oliva.

Dertusensi ecclesiae auctoritate apostolicâ confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram paginam confirmationis infringere, nec ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Data Laterani VII idus Augusti, pontificatus nostri anno sexto.

*Carta immunitatis concessae à Petro II, Aragonum rege, ecclesiis, et monasteriis dioc. Dertusensis.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

In Dei nomine. Nos Petrus, Dei gratia rex Aragonum, comes Barchin. nobilium praedecessorum nostrorum exempla sequentes, et praeterita emendare volentes, fatemur et recognoscimus, quòd in honoribus, mansis, seu hominibus ecclesiarum, ac monasteriorum, vel locorum religiosorum totius Dertus. episcopatus nullam quaestiam, nullam exaccionem, vel forciam, nullamque demandam seu ademprivium habemus, vel habere debemus aliquo jure, vel aliqua ratione. Ut verò ipsarum ecclesiarum, ac monasteriorum, seu domorum religiosarum honores, mansi, sive homines magis tuti ac securi perpetuò habeantur, volentes et confirmantes omnia privilegia et jura à nobis vel antecessoribus nostris, vel à quibuscumque aliis ecclesiae Dertus. monasteriis et domibus religiosis Dertus. dioc. concessa, suam habere perpetuò firmitatem cum hac praesenti paginâ inviolabiliter duraturâ nobis, et successoribus nostris legem imponentes, ad honorem Dei, sanctaeque matris ecclesiae, et ob remedium animae nostrae et parentum nostrorum promittimus bonâ fide, et da-

mus vobis, domine P. Dertus. episcope, ceterisque praelatis, personisque omnibus ecclesiasticis in episcopatu vestro constitutis, quòd nos umquam in honoribus, mansis, sive hominibus vestris, vel ecclesiarum, monasteriorum, locorumque religiosorum, quibus divinâ permitente gratiâ praeestis, nullam quaestiam, nullam forciam, seu demandam vel ademprivum aliquatenus faciemus, nec aliquid causâ Ispaniae expugnandae, vel subjugandae, vel alia quacunque ocasione exigemus, seu requiremus. Dat. Ilerdae XI. cal. April. per manum Ferrarii notarii nostri, et mandato ejus script. à Petro Capellano Dertusae.

S. Petri, Dei gratia regis Aragon. et comitis Barch.

Ego R. Dei gratia Tarraconens. arch. confirmo.

S. Guillelmi Durfortis.

Ego Ramundus, Caesaraug. episcopus, hoc sig✠num facio.

Guillelmus Ausonensis episcopus.

Petrus abbas S. Johannis.

Sigillum Berengarii Ilerdae episcopi.

Sig. Petri Barchin. episcopi.

Ego G. Oscensis episcopus hoc signum facio.

Sig✠num Petri Urgell. episcopi.

*Testes hujus rei sunt.*

Guillermus vice comes Cardonae.

Gaufridus vice comes Rozabertino.

Guillermus de Cervaria.

Michael de Lusia.

A. de Alascono.

Sancius de Antillone.

Blascus Romiri.

R. Tulchonis de Cardona.

R. de monte Castano.
R. de Cervaria.
R. Gaucerandi de Pinos.
G. Raym. Senescalc.
G. Danglarola.
G. de Petra alta.
G. de Podio viridi.
G. de....
Artallus de Tuxano.
A. de Palaciolo.
Hugo de Cerviano.

Ego Ferrarius nott. domini regis hoc scribi feci mandato ipsius, loco, die, et anno praefixis.

*Innocentii III ad templarios Empostae prope Dertusam litterae de servandis juribus episcopo debitis.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis commendatori, et fratribus hospitalis de Empostâ, salutem et apostolicam benedictionem. Suam nobis venerabilis frater noster Dertosen. episcopus quaerimoniam destinavit, quòd cùm civitatem Dertosen. pro eo quod cives ejusdem civitatis decimas, et primitias ei subtrahunt, supposuisset ecclesiastico interdicto: vos eosdem cives, illos etiam, qui fuerint propriâ culpâ excomunicatione notati, ad sepulturam, et alia sacramenta contra tenorem privilegiorum vestrorum recipere minimè timuistis, nec adhuc vultis ab hujusmodi praesumptione cessare. Quo circa per apostolica scripta mandamus, quatinus in praejuditium juris episcopi memorati talia de cetero ullatenus atemptare, et privilegiorum vestrorum existatis formâ contenti, eidem

episcopo de dampnis datis, et irrogatis injuriis satisfactionem debitam exibentes. Alioquin, noveritis nos venerabili fratri nostro Ilarden. episcopo, et dilecto filio abbati Populeti in mandatis dedisse, ut vos ad hoc per censuram ecclesiasticam appellatione remotâ compellant. Datum Laterani II. idus Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

*Innocentii III litterae in favorem episcopi Dertusensis super injuriis ei illatis à fratribus militiae Templi.*

EX ARCH. ECCLES. DERTUS.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Ilardensi episcopo, et dilecto filio abbati Populeti, salutem et apostolicam benedictionem. Suam nobis venerabilis frater noster Dertosensis episcopus quaerimoniam destinavit, quòd cum civitatem Dertosensem, pro eo quod cives ejusdem decimas et primicias ei subtrahunt, supposuisset ecclesiastico interdicto, dilecti filii commendator, et fratres hospitalis de Emposta, eosdem cives, illos etiam qui fuerunt propriâ culpâ excommunicatione notati, ad sepulturam et alia sacramenta contra tenorem privilegiorum suorum recipere minimè timuerunt, nec adhuc volunt ab hujusmodi praesumptione cessare. Nos autem eisdem per scripta nostra mandavimus ut in praejudicium juris episcopi memorati talia de cetero non praesumant, et privilegiorum suorum existant formâ contenti, eidem episcopo de dampnis datis, et irrogatis injuriis satisfactionem debitam exhibentes. Quo circa discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus praedictos commendatorem et fratres ad implendum mandatum nostrum per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ compellatis. Nullis litteris veritati et justitiae

praejudicium facientibus, si quae apparuerint à sede apostolicâ impetratae. Quod si ambo hiis exequendis nequiveritis interesse, tu, frater episcope, ea nichilhominus exequaris. Dat. Lateran. II. id. April. pontificatus nostri anno secundo.

*Confirmatio cemeterii Zudae Dertusensis, facta à D. Gombaldo ejusdem urbis episcopo, fratribus militiae Templi.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Quoniam facta mortalium cum auctoribus suis tabes oblivionis semper invida memoriae scriptorum inopiâ delere consuevit: ego Poncius Dei gratia Dertusen. episcopus, et Poncius prior ejusdem ecclesiae et omnes qui nobiscum sunt in eadem ecclesiâ fratres, tam vivorum praesentiae, quàm futurorum posteritati scripto tradere curavimus, quòd praecibus, et supplicationibus Poncii de Rigallo magistri militiae Templi in partibus Provintiae et in quibusdam Hyspaniae, et Bezoni comendatoris Mirabeti, et Geraldi de Caercino, comendatoris Durtusae, et Falchi comendatoris Azconi, et Gauzberti comendatoris de Barberano, et Petri Auxor, et Aimerici de Salis, et Johannis de Aragon., et aliorum fratrum multorum, concedimus Deo, et istis fratribus militiae Templi praenominatis, et successoribus suis ciminterium in Zuta Dertusae. Tali vero pacto ciminterium illum eis concedimus, ut ipsi vel successores sui nullum vel nullam de parrochianis nostris recipiant ad sepeliendum, nisi ipsi ad Zutam ascenderint pedibus suis, vel equitando sine adjutorio hominis vel faeminae, exceptis tribus personis, videlicet, Morone filium Moronis, et matre sua Sibilia, et Petro de Genestar, si in fine vitae suae elegerint se-

pulturam in praedicto ciminterio. Ego Pontius de Rigallo magister militiae Templi, et praenominati comendatores, coeterique fratres nostri per nos, et per omnes successores nostros hoc pactum, sive conventionem laudamus, ac firmiter tenere concedimus, et promittimus Deo, et Beatae Mariae sedis Dertusae, et Poncio episcopo ejusdem ecclesiae, et Poncio priori, omnique conventui, et successoribus suis hanc pactionem, sive convenientiam perpetuò irrefragabiliter observare per saecula cuncta, sicut superius dictum est. Nos autem frater Girbertus Eral, gratiâ Dei militiae Templi in terrâ orientali magister, gratuito animo laudamus, et confirmamus omnia praescripta, ut potè fratribus nostris praedictis concessa sunt. Nos siquidem Gombaldus, Dei gratia Dertus. episcopus, consilio et voluntate Poncii prioris ejusdem ecclesiae, et G. de Alos, camerarii, et Poncii sacristae, et aliorum fratrum canonicorum bono animo, ac spontaneâ voluntate praefatam convenientiam et concessionem, sive cãmbiacionem, quam praescriptus venerabilis episcopus piae recordationis, et dicti magistri, et fratres non duxerunt ad complementum, sive perfectionem ut deceret, ducimus perpetualiter cum Poncio Meneschalcho, militiae Templi in partibus provintiae, et in quibusdam Hyspaniae honorando magistro, et cum Petro de Colonico, comendatori Ripariae, et Petro de Calasanccio, comendatore Dertusae, et Poncio de Borna, camerarii ejusdem loci, et Gauberto de Casalibus, comendatori Mirabeti, et Guillelmo de Turre, comendatore Azconis, et Guillelmo Vulgario, Ortae comendatore, et Raymundo de Turre Rubea, et Augerio de Castellana, et cum omni conventu Dertusae in effectum. Nos igitur Poncius Menescalcus unà cum omnibus nostris fratribus bonâ fide, absque malo ingenio promittimus Deo et Beatae Mariae sedis Dertusae, et vobis

patri nostro Gombaldo ejusdem ecclesiae episcopo, omnibusque canonicis et successoribus nostris praescriptam convenientiam per nos et successores nostros in perpetuum observare, ut superius scribitur, et antecessores nostri, et vestri inter se pepigerunt. Haec autem conventio, et concessio facta fuit in praesentiâ horum testium, quorum nomina sunt subscripta ad haec ut stabilis semper, et firma permaneat. Quod est actum mense Augusti, sub anno Domini M.C.XC.VII.=

Sig✠num fratris Poncii de Rigallo, in partibus provinciae, et Hyspaniae tunc temporis magistri.=

Sig✠num fratris Bezonis, preceptoris Mirabeti.=

Sig✠num fratris Geraldi de Chaercino, comendatoris Dertusae.=

Sig✠num fratris Falchi, comendatoris Azconis.=

Sig✠num Gauperti, comendatoris de Barberano.=

Sig✠num Petri Auxor fratris.=

Sig✠num Aimerici de Salis.=

Sig✠num fratris Petri de Port.=

Sig✠num Johannis de Aragon.=

Sig✠num Bernardi de Clareto, preceptoris Gardenii.=

Sig✠num fratris A. de Claro Monte, preceptoris Monzonis.=

Sig✠num Bernardi Eimerici, comendatoris Ortae.=

Sig✠num fratris Lupi.=

Sig✠num fratris Raymundi Berardi.=

Sig✠num Guillermi de Alverge.=

Sig✠num fratris Girberti Eral, Jerosolymitani magistri.=

Nos qui hoc laudamus, et propriis firmamus manibus.

Ego Gombaldus Dertusen. episcopus.=

Sig✠num Gomballi, Ylerdensis episcopi.=

Sig✠num Guillermi de Alos, camerarii. =

Sig✠num Poncii, sacristae =

Sig✠num G. canonici et presbyteri. =

Sig✠num Poncii prioris. =

Sig✠num fratris Poncii Meneschalchii, militiae Templi magistri. =

Sig✠num Petri de Colonico, comendatoris Ripariae. =

Sig✠num fratris Petri de Calaçancio, Dertusae comendatoris. =

Sig✠num fratris Poncii de Borna, camerarii. =

Sig✠num Gauzberti de Casalibus, comendatoris Mirabeti. =

Sig✠num G. de Turre, comendatoris Azconis. =

Sig✠num G. de Vulgario, Ortae comendatoris. =

Sig✠num R. de Turre Rubea =

Sig✠num de Augeris de Castellana, nos qui laudamus et firmamus. =

Sig✠num Raymundi de Centilles. =

Sig✠num Guillermi Eimerici. =

Sig✠num G. Morages. =

Sig✠num Bertrandi de Podio. =

Sig✠num Petri de Sanaugia, ejus rei testes sunt.

Guillelmus levita domini magistri P. Menescalchi, jussu episcopi, et fratrum scripsit ✠ hoc praefixit. =

*Carta limitum Tarraconensis et Dertusensis episcopatuum.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Sit notum cunctis quòd contentio erat inter Tarraconensem ecclesiam et Dertosensem, super terminis qui habent dividere decimationes inter campum Tarraconae, et montana. Tandem vero dominus Raymundus, Tarraconens.

archiepiscopus, et D. Gombaldus, Dertosens. episcopus, uterque cum consensu et voluntate conventus ecclesiae suae venerunt super terminis illis ad concordiam et pacem perpetuam, et ad amicabilem compositionem. Cujus compositionis talis est modus; quòd in praesentiâ multorum proborum virorum, quorum nomina inferius notata sunt, pars utraque simul tales terminos posuit, assignavit, et laudavit in ea videlicet parte, in qua erat contentio inter eos. Incipiunt autem termini illi à quadam rupe alta quae vocatur *Nas de pullino*, et inde vadunt per ipsam serram sicut aquae verguntur versus mare usque ad collem *de Lenia*; et inde transeunt per unum podium, qui est subtus podium altum, et est contiguus et magis proximus ipsi podio alto; et inde revertuntur per ipsam serram altiorem; et vadunt per ipsam serram *de Laberixes*, sicut aquae vergunt et perveniunt in rivum *de Oleastro*, et per ipsum eundem rivum descendunt aliquantulum termini usque in ipsum locum, quem vocant *Poxino*, ubi etiam duo torrentes junguntur, scilicet, ille idem torrens de rivo Oleastri, et torrens de Valle Lauri; et inde ascendunt termini, et transeunt super duos podiolos, ita quod termini relinquunt de ipsis podiolis unum post alium; et sic perveniunt ad quamdam rupem, quam rustici vocant *Sedam*, quae etiam proprio nomine vocatur *Espadella*: ascendunt termini usque ad aliam sedam altiorem et vicinam illi, quae etiam denticulata videtur ut murus, vel trepata, et est contigua podio de Navales; et inde recedunt termini, et vadunt per ipsos podios de uno in alium sicut aquae vergunt versus mare, et sic perveniunt ad collem Balagarii, et intrant in mare. Viri autem qui ex parte Tarraconensis ecclesiae et super dictos terminos ponendos et assignandos fuerunt, sunt isti: Raymundus, Tarraconensis ecclesiae praepositus; et R. camerarius, et R. Guillel-

mus, archidiaconus, et Arnaldus Uribaldus, et Arnaldus de Alforgia, canonici ipsius ecclesiae; et P. de Balagario, bajulus praepositi, et Petrus de Ripa, et Guillel. de Zaguda, canonici Cornu bovis, et Joannes de Rivipullo, et alii multi probi homines de Monte rubeo. Qui vero ex parte Dertosensis ecclesiae ad haec omnia peragenda fuerunt, sunt hii: dominus G. Dertosensis episcopus, et dominus Pontius, prior ipsius ecclesiae, et Guillelmus de Alos, et Bernardus Albareda, et Miro frater ejusdem episcopi, et Guillelmus de Rixach, et R. de Conilles, et Bertrandus de Rivo. Quidam etiam alii supervenerunt, qui similiter positioni terminorum interfuerunt; scilicet, Arnaldus de Fonolar, P. de Toudel, Martinus capellanus de Partdip, et multi alii de ipso Pratdip. Haec autem omnia consummata et peracta fuerunt anno M.° CC.° III.° Dominicae Incarnationis, mense Februarii in die S. Agathae Virg.

Ego R. Dei gratia Tarracon. archiepiscopus confirmo. = Ego Raymundus Tarracon. praepositus. = Signum Joannis Tarracon. ecclesiae sacristae. = Ego Raymundus Tarracon. ecclesiae canonicus. = Signum Guillelmi praecemptoris Tarracone. = Ego Guillelm. Clemens subscribo. = Signum Petri de Manlevo. = Signum Arnaldi de Alforgia, presbyteri. = Signum Arnaldi, sacri custodis. = Sign. R. de Requesens. = Sign. Joannis de Sancta Digna. = Sign. Petri de Balagario, bajuli praepositi. = Sign. Guillelmi de Zaguda, canonici Cornu bovis. = Ego Petrus de Ripa subscribo, et facio hoc sig✠num.

Ego Gombaldus, Dertusens. ecclesiae episcopus firmo. = Sign. Guillelmi de Alos, camerarii. = Sign. Poncii, sacristae. = Sign. Laurentii, canonici et praesbyteri. = Sign. Bernardi, presbyteri. = Sign. Joannis, presbyteri et canonici. = Sign. Bernardi, presbyteri et canonici. = Sign.

Poncii, prioris. = Ego P. de Tarrachona, notarius. = Ego Bernardus Guibotus hoc scripsi mandato Petri de Tarrachona, Tarrachonensis notarii, die et anno prefixis.

*Constitutiones synodales factae per D. Arnaldum (a) Dertusens. episcopum anno Domini M.CC.LXX. IIII. pridie idus Novembris.*

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITAE EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Contra vendentes laycis ecclesias.*

Nos Arnaldus, Dei gratia Dertus. episcopus, attendentes quod aliqui ecclesiarum rectores, sive ex justâ causâ absentes, vendunt ecclesias suas in solidum laycis, qui layci recipiunt non solum decimam, sive primitiam, sed etiam oblationes defunctorum et alia jura ecclesiastica, nec non etiam ponunt ibidem clericos pro suâ voluntate, et alia administrant, quae non decet laycos administrare, propter quod maximum sequitur scandalum, et devotio parrochianis vel parrochianorum minuitur, et ipsae ecclesiae ex hoc damnum in spiritualibus et temporalibus patiuntur: volentes ergo scandalis hujusmodi et periculis remedium adhibere, praesenti synodali constitutione statuimus, ut nullus rector nostrae dioecesis de cetero vendat, vel vendere audeat suam ecclesiam alicui layco, cujuscumque status vel conditionis existat. Sed si contingat, eum, qui justâ causâ absens est, velle vendere ecclesiam suam, habeat vendere presbytero noto et idoneo, et presentent eum nobis vel officiali nostro priusquam aliquid ibidem

(a) Arnaldum scilicet de Jardino, qui ecclesiam Dertus. ab anno 1272 aut circiter, ad 1306 usque rexit, multisque auxit ac ditavit.

administret, ut nos vel officialis ipse committamus ei curam animarum, si idoneus existat; aliàs idem rector teneatur nobis vel eidem officiali alium idoneum presentare, cui nos vel ipse officialis curam animarum secundum Deum committere valeamus.

*D. Arnaldi de Jardino, episcopi Dertusensis, secunda synodus celebrata anno Domini M.CC.LXXVIII. tertio idus Novembris.*

EX ARCH. ECCLES. DERTUSENS.

*De mutatione poenae contra concubinarios.*

Cùm olim venerabilis pater dominus Joannes, Sabinensis episcopus, in partibus Hispaniae legationis officio fungeretur, et contra clericos concubinarios suspensionis, et concubinas eorum sententias generaliter promulgasset, ex quibus quidem sententiis, licet ad salutem animarum proditae extitissent; quia tamen non solum damna sed et frequenter pericula sequebantur, dominus papa volens morbo hujusmodi salubri remedio subvenire, mandavit per venerabilem patrem dominum Egidium, bonae memoriae sanctorum Cosmae et Damiani diaconum cardinalem, contra morbum praedictum tam pestiferum et damnosum conveniens remedium adhiberi. Qui cum praelatis Hispaniae tunc in romanâ curiâ existentibus, deliberatione diligenti habitâ, et tractatu, commissit et mandavit archiepiscopis et episcopis et aliis praelatis Hispaniae, ut praedictas suspensionis et excommunicationis sententias in poenas alias, prout sequitur, commutarent. = *Constitutio.* = „Venera- » bilibus in Christo patribus archiepiscopis et episcopis et » aliis praelatis Hispaniae ecclesiarum: Aegidius divinâ

» providentiâ sanctorum Cosmae et Damiani diaconus car» dinalis, salutem in vero salutari. Ad regimen ecclesia» rum et curam sedis apostolicae per sedem summi pon» tificis instituta, pericula, per quae comissae sibi animae » cadunt graviter in commissa, curâ solicitâ removere, sa» lubrem animabus ipsis adiciendo medelam. Sanè cùm re» colendae memoriae venerabilis in Xpto. pater Joannes, » Sabiniensis episcopus, in partibus Hispaniae legationis » officio fungeretur pro reformandis moribus, et praeci» puè clericorum, qui per vitae mundiciam et conserva» tionem laudabilem formam in moribus ceteris dare de» bent purâ conscientiâ, fecit, et statuit omnes sacerdo» tes, et omnes diaconos et subdiaconos, et omnes be» neficiatos qui in domibus suis vel alienis publicè deti» nere presumerent concubinas, denuntiari suspensos, et » concubinam talium excommunicationis sententiae subja» cere. = Verùm quod saepè providetur ad bonum, an» tiqui hostis invidiâ procurante, tendit ad noxiam, prae» dictae sententiae quae pro animarum procurandâ salute » fuerunt promulgatae, cùm per irregularitates, quas cleri» ci sententiis eisdem ligati multociens contrahebant, cum » per contagiosae poenae contagium quâ excommunicati per » excommunicationem affecti, sibi communicantes excom» municationis labe inficiunt, animabus ipsis laqueos aeter» nae mortis parabant, et quam plures unius laqueo liga» bantur. = Huic autem morbo dominus papa saluriferam » intendens adhibere medellam, nobis vivâ vocè manda» vit ut contra morbum eundem tàm pestiferum, quàm » dampnosum, tàm in clerum Hispaniae infamiam indu» centem, conveniens remedium adhibere curamus (f. cu» raremus) ut animarum vitaretur periculum, et nihilo» minus delinquentes canonicam non effugerent ultio» nem. = Nos igitur cum prelatis et aliis viris discretis

» Hispaniae apud sedem apostolicam constituti, super his
» deliberatione prehabitâ, et deinde commutatione poenae
» praedictae tractatu habito cum eisdem prospeximus,
» quòd cùm per varietatem personarum et etiam regionum
» poenae sint proindè variandae, ne ad instar imperiti medici
» omnium curare occulos uno colyrio videremur, uti vobis
» qui conditionem personarum, et locorum nostrae pro-
» vintiae melius scire potestis. = Eadem auctoritate, com-
» mittimus districtè praecipiendo mandantes quatenus ha-
» bentes prae occulis solum Deum, cui de animabus vo-
» bis commissis reddituri estis in die judicii rationem, cle-
» ricis poenas et concubinis praedictis per sententias me-
» moratas impositas, in poenas alias quas personarum et
» locorum, et temporum circunstantiis providâ circuns-
» pectione pensatis, earumdem saluti animarum magis ex-
» pedire videritis, commutetis, ejusdem legati sententias
» auctoritate apostolicâ postmodum relaxantes. = Singuli
» autem vestrum nihilominus circa suos subditos, qui ex
» dictis sententiis in excommunicationis vel irregularitatis
» laqueos hactenus inciderunt, per absolutionis et dispen-
» sationis gratiam, prout merita personarum exigunt, ea-
» dem auctoritate, discretione praeviâ, providere cure-
» tis. = Proviso tamen ne quòd pro correctione morum
» duxeritis ordinandum, ad iniquum compendium nulla-
» tenus convertatis. Dat. Janue kalendas Junii, pontifica-
» tus Domini Innocentii papae quarti, anno octavo. Anno
» Domini M.CC.LI."

Nos igitur Arnaldus, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, praedictis animarum periculis obviare volentes, ac cupientes salutare apponere remedium, ne personae praedictae insolubiliter delinquant, cùm non invenerimus praedictas suspensionis et excommunicationis sententias per aliquem praedecessorum nostrorum fuisse in poe-

nas alias commutatas, auctoritate praedictâ nobis in hac parte traditâ, praefatas suspensionis et excommunicationis sententias in poenas inferiùs positas commutamus. = In primo statuentes quod si qui clericorum civitatis vel diocesis Dertusensis inventi fuerint de coetero detinentes publicè concubinas, si beneficia ecclesiastica habuerint cum curâ vel sine curâ, poenam XX. morabatinorum incurrant. = Si beneficium ecclesiasticum non habuerint, sed in sacris ordinibus fuerint constituti, X. morabatinos pro poenâ solvant. = Et nihilominus tàm istos, quàm alios habentes beneficia, si facti qualitas exposcerit, decernimus nostro arbitrio graviùs puniendos; poenam verò illorum clericorum qui non habent beneficia et sunt in minoribus ordinibus constituti, nostro arbitrio reservamus. = Concubinas insuper publicas praedictorum clericorum, X. morabatinorum poenâ statuimus puniendas. = Et praedictas itaque suspensionis et excommunicationis sententias in prenominatas poenas per nos taliter commutatas, easdem sententias suspensionis et excommunicationis latas per jam dictum dominum Joannem episcopum Sabiniensem, quantum ad clericos civitatis et diocesis Dertusensis, et concubinas eorumdem, praesenti constitutione, auctoritate premissâ, expressè et ex certâ scientiâ relaxamus. = Descernentes praedictos clericos et eorumdem concubinas praedictis suspensionis ex excommunicationis sententiis in posterum de çetero non ligari.

*Quod curati non recipiant ad benedictionem nuptialem parrochianos qui non sunt de suâ parrochiâ.*

Statuimus quòd quicumque parrochianum vel parrochianam alterius recepterit ad benedictionem nuptialem sine litteris proprii rectoris vel ejus locum tenentis, pro

poenâ XX. solidos solvere teneantur. De quibus habeat episcopus X. solidos, et rector seu cappellanus, cui injuria facta est, alios X. solidos = Hanc poenam intelligimus habere locum ubi contra tale matrimonium nullum impedimentum canonicum in praesenti vel in posterum objicitur vel probatur: si enim objiceretur vel probaretur aliquid contra tale matrimonium, tunc eos ad arbitrium nostrum graviùs descernimus puniendos.

*Quòd sacerdos non celebret missam cum filio spurio.*

Item statuimus quòd quicumque sacerdos cum filio proprio spurio cantet, missarum officia presumpserit celebrare, poenam viginti aureorum ipso facto incurrat.

*Contra lusores ad taxillos.*

Item quicumque clericus luserit ad taxillos, pro poenâ decem solidos solvere teneatur.

*Contra non venientes ad synodum.*

Item, quòd quicumque rector diocesis Dertusae non venerit ad synodum die assignatâ, scilicet, ad festum Sancti Martini, inferat pro poena XX solidos: nisi infra quindecim dies à die synodi celebratae coram nobis, vel officiali nostro comparuerit ostensurus legitimum impedimentum, quare non potuerit interesse.

*Synodus celebrata per dominum Petrum (a), episcopum Dertusensem, anno Domini millessimo trecentessimo septimo, idus Novembris.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Contra rectores residentiam personalem non facientes in suis ecclesiis.*

Cùm per constitutionem sanctorum patrum, romanorum pontificum, et specialiter per constitutiones foelicis recordationis domini Gregorii papae decimi, quae incipit: *Licet canon*, statutum fuerit et decretum ut rectores parrochialium ecclesiarum in ipsis ecclesiis, quarum rectores existunt, residere personaliter teneantur; et nonnulli rectores ecclesiarum parrochialium diocesis Dertusensis contempnant, seu negligant in suis ecclesiis residentiam facere personalem, propter quod gregis sibi traditi cura postponitur, et ecclesiis hujusmodi debita obsequia abstrahuntur: idcirco nos Petrus Dertusensis episcopus, cupientes supra dictas constitutiones inviolabiliter observari, ipsas decrevimus poenae addicione vallandas. Celebrantes itaque sanctam synodum in ecclesiâ Dertusensi; assistentibus nobis veneralibus Bernardo de Jardino priore, et capitulo ejusdem Dertusensis ecclesiae, et praesentibus omnibus rectoribus civitatis et diocesis supradictae, statuimus ut universi rectores ecclesiarum parrochialium in suis ecclesiis teneantur personaliter residere. Qui autem, ut praemittitur, (f. *permittitur*) post duos menses à tempore publicationis preasentis constitutionis continuè numerandos in suâ

(a) Petrum, scilicet, de anno 1306 ad usque 1310 praeBetteto, qui huic ecclesiae ab fuit.

parrochiali ecclesiâ de cetero neglexerit residere, poenam decem aureorum se noverit incursurum, nisi per nos, vel successores nostros supra residentiam, ut praemittitur, faciendam, fuerit misericorditer dispensatum. Poenam autem hujusmodi ordinationi nostrae, vel successorum nostrorum ducimus reservandam.

*Contra rectores ementes redditus aliarum ecclesiarum.*

Item, cùm aliqui rectores non contenti suis beneficiis, emant redditus annuos aliarum ecclesiarum parrochialium, quod ex quadam ambitione procedere dinoscitur; cùm nec duabus ecclesiis possunt debitam provissionem impendere, et ex hoc dissolutionis et vaccationis materia inducatur: idcirco prohibentes statuimus, ut quilibet rector nostrae diocesis suâ parrochiali ecclesiâ sit contentus, quòd fructus seu redditus alterius parrochialis ecclesiae emere non presumat. Quicumque autem contrarium fecerit, tam emptor, quàm venditor poenam XX. aureorum se noverit incursurum. Et nihilominus contractus hujusmodi ipso jure sit irritus et inanis.

*Contra rectores commitentes curam animarum sine licentiâ pro poenâ decem aureorum.*

Item statuimus quòd nullus rector committat curam animarum in suâ parrochiali ecclesiâ alicui clerico sine nostrâ licentiâ spetiali per nos, aut successores nostros, quamdiù praesentes fuerimus in civitate et diocesi Dertusensi; alias in absentiâ nostri vel successorum nostrorum fiat commissio hujusmodi animarum curae; nisi fortè rectores habeant proficisci extra suas ecclesias, vel infirmitate vel alio legitimo impedimento fuerint impediti. Tunc

enim de licentiâ nostrâ, quam eis de praesenti concedimus, in casibus praedictis possint personis idoneis curam committere animarum, donec ad suas ecclesias sint reversi, vel cesset hujusmodi impedimentum. Nec aliquis rector recipiat aliquem clericum extraneum ad celebrandam missam in suâ ecclesiâ absque literis dimissoriis sui diocesani. Quicumque contrarium fecerit, poenae decem aureorum ipso facto noverit se subjacere.

*Quòd rectores possint condere testamentum de bonis per ecclesiam adquisitis.*

Item statuimus et ordinamus quòd rectores ecclesiarum parrochialium nostrae diocesis, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, aere alieno deducto et exceptis vasis vinariis, et utensilibus, et apparamentis domorum ecclesiarum suarum, possint condere testamentum, vel aliam ultimam voluntatem de bonis mobilibus per ecclesiam adquisitis vel adquirendis, quae habuerint tempore mortis suae; videlicet pro remuneratione servitiorum suorum seu ministrorum, qui eis honestè servierunt, et pro institutione cappellaniarum, et adniversariorum, vel alias ad pias causas infra ecclesias suas, vel in sede Dertusensi prout eis secundum Deum meliùs videbitur expedire. Possint etiam dicti rectores emere bona immobilia de bonis mobilibus, quae ad eos pervenerint de ecclesiis suis pro cappellaniis, vel anniversariis, vel lampadibus instituendis, vel aliis propriis causis. Et de bonis immobilibus sic emptis per eos, ordinare seu instituere cappellanias vel anniversaria, vel alias ea distribuere ad pias causas infra ecclesias suas, vel in sede Dertusensi, ut superiùs est dictum vel permissum. Et retinemus nobis dicto episcopo et successoribus nostris decimam omnium dictorum bonorum

quae fuerint adquisita, per succesores rectorum, qui nunc vivunt, et hoc in signum dominii generalis.

*Quòd synodus celebretur in festo Sancti Martini.*

Item statuimus quòd singulis annis in festo Sancti Martini in ecclesiâ Dertusensi sancta synodus celebretur.═ Et quicumque autem rector civitatis vel diocesis Dertusensis, cessante legitimo impedimento, dictae synodo interesse neglexerit, poenam XX. solidorum Barchinonen. monetae se noverit incursurum.

*Secunda synodus domini Petri, anno domini M.CCC.VIII. secundo idus Novembris.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*De horis dicendis, et de libris in ecclesiis tenendis.*

Nos Petrus, miseratione divinâ episcopus Dertusensis, constituimus et ordinamus quòd omnes rectores et vicarii, ac clerici habentes beneficia curata, vel simplicia in civitate, vel diocesi Dertusensi, et alii in sacris ordinibus constituti in civitate praedictâ, vel diocesi residentes, teneantur dicere, seu recitare divinum officium, horas, videlicet, canonicas nocturnas, et diurnas et alia divina officia celebrare ═Et quòd si aliqui libri sunt in ecclesiis parrochialibus civitatis, vel diocesis Dertusensis, qui non sint scripti secundum consuetudinem ecclesiae Dertusensis, rectores, et vicarii dictarum ecclesiarum parrochialium, in quibus hujusmodi libri fuerint, compellant parrochianos suos per censuram ecclesiasticam ad vendendum tales libros, et ad habendum alios libros idoneos, qui sint jux-

ta consuetudinem ecclesiae memoratae, infra biennium continuè numerandum. = Et si praedicti rectores, vel vicarii circa compulsionem praedictam negligentes fuerint, vel remissi, solvant pro poena quilibet ipsorum qui in hoc negligentes fuerint, decem aureos in pios usus, juxta nostrae cognitionis, vel succesorum nostrorum arbitrium convertendos.

*Prima synodus celebrata à D. Francisco de Paholaco, episcopo Dertusensi.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Anno Domini M.CCC.XI. die Jovis quae fuit tertio idus Novembris, reverendus pater et dominus dominus Franciscus, divinâ miseratione Dertusensis episcopus, primam synodum celebravit in sede Dertusensi, et ordinavit constitutiones sequentes.

*Confirmatio omnium constitutionum per praedecessores domini Francisci editarum.*

Nos Franciscus, miseratione divinâ, Dertusensis episcopus, in civitate personaliter constitutus, praesentibus et assistentibus nobis venerabilibus Bernardo de Jardino, priore, et toto capitulo ecclesiae memoratae, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, sanctam synodum celebrantes, de assensu praedictorum prioris, et capituli laudamus ac concedimus, et approbamus, et per omnia confirmamus omnes constitutiones factas per praedecessores nostros ad utilitatem, libertatem, et deffensionem ecclesiarum, clericorum, et religiosorum, monasteriorum, et rerum omnium praedictarum: et etiam omnes alias ad correctionem,

et reformationem subditorum nostrorum, per praedecessores nostros editas confirmamus.

*De institutione festivitatum hîc contentarum.*

Item, ad divini nominis honorem et gloriam, et exaltationem catholicae fidei, et salutem, statuimus et ordinamus de consilio et assensu venerabilis Bernardi de Jardino prioris, et capituli Dertusensis festum passionis imaginis Christi, idus Novembris: et festum Sancti Blasii episcopi et martyris, tertio nonas Februarii: et festum Sancti Juliani et festum Beati Antonii abbatis et confessoris XVI. kalendas Februarii in sede et ecclesiis civitatis, et diocesis Dertusensis, annis singulis perpetuis et futuris temporibus à clericis sub officio IX. lection. devotione debitâ celebrari.

*Quòd carnes non fiant per carnifices in diebus jejuniorum, nisi in casibus hîc contentis.*

Item, ad extirpandam et refrenandam quorundam audatiam perversorum civitatis et diocesis Dertusensis, qui mandatum ecclesiae elatâ cervice frangere non formidant; statuimus et ordinamus quòd aliquis carnifex, vel quivis alius, nisi pro necessitate infirmorum et parturientium mulierum tantùm, audeat de cetero in dictâ civitate vel diocesi vendere publicè carnes in diebus veneris, nec in vigiliis Apostolorum, vel aliorum Sanctorum, quorum vigilias sancta mater ecclesia praecipit jejunare. = In vigiliis Natalis, Resurrectionis, Penthecostes, dumtaxat exceptis ob reverentiam festivitatis, seu festivitatum eorum decentiam et honorem. Si quis autem praesentis constitutionis temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam se noverit incursurum.

*Dominus Franciscus fecit constitutionem sequentem anno Domini M.CCC.XI. XIIII. kalendas Decembris.*

*Quòd rectores possint facere testamentum.*

Item, quamvis Dominus Petrus (*a*) bonae memoriae praedecessor noster celebrando synodum in sede Dertusensi in favorem rectorum statuisset et ordinasset quandam constitutionem, quae incipit: *Item, statuimus et ordinamus quòd rectores ecclesiarum parrochialium nostrae diocesis deducto &c.* Nos volentes uberiorem facere gratiam, de consilio et assensu venerabilis Bernardi de Jardino prioris, et totius capituli Dertusensis, statuimus et ordinamus, quòd omnes rectores nostrae diocesis, qui nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint, deducto aere alieno, et exceptis vasis vinariis et aliis apparamentis, seu utensilibus necessariis domus, seu abbaciis ecclesiarum suarum, secundum qualitatem eorum, possint condere testamentum seu aliam ultimam voluntatem de bonis mobilibus seu se moventibus per ecclesiam adquisitis, et etiam immobilibus per easdem ecclesias adquisitis: legando ecclesiae Dertusensi, vel ecclesiae propriae, vel ad cappellanias, vel ad anniversaria infra nostram ditionem, vel pro remuneratione servitiorum, vel familiae suae, vel aliis piis locis, vel amore Dei, vel quibuscumque locis, et personis capacibus.=Retinemus tamen nobis et successoribus nostris in signum universalis dominii tricesimam partem bonorum, quae fuerint adquisita pretextu ecclesiarum per successores rectorum qui nunc vivunt, decimam retentam in dicto statuto per praedecessorem nos-

(*a*) Petrus de Betteto, qui edidit in synodo Dertusensi, laudatam hic constitutionem anno 1307.

trum facto ex certâ scientiâ revocantes, et ut dictum est, ad istam tricesimam ex spetiali gratiâ reducentes.

*Quòd clerici non coquant victualia in furnis judaeorum, vel sarracenorum.*

Item statuimus et ordinamus de consilio et assensu venerabilis Bernardi de Jardino prioris, et totius capituli Dertusensis, quòd nullus clericus civitatis et termini Dertusensis, cujuscumque conditionis, dignitatis et status existat, seu aliquis nomine eorundem, vel ad eorum officium audeat decoquere, vel facere decoqui panem, carnes, seu alia victualia, vel quae sub aliquo genere victualium comprehendi possunt, in furno, vel in furnis judaeorum vel sarracenorum diebus festivis, vel aliis, vel etiam in diebus festivis in furnis christianorum. Et quicumque praedictorum contrarium fecerit, solvat pro poenâ decem solidos regalium Valentiae, erario nostro applicandos.

*Secunda synodus domini Francisci de Paholaco, episcopi Dertusensis, celebrata tertio idus Novembris anno Domini M.CCC.XIIII.*

*De mutatione synodi, et celebrabitur dominicâ secundâ post festum Resurrectionis Domini.*

Nos Franciscus, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, in sede nostrâ Dertusensi sanctam synodum celebrantes: attendentes quòd propter mutationem temporis, aestatis, videlicet, et hiemis, rectores diocesis antedictae convenientes ad dictam civitatem in festo Sancti Martini ad celebrandam synodum, juxta consuetudinem Der-

tusensis ecclesiae antiquitùs observatam, sustineant usque ad haec tempora plurimos labores, ac suarum pericula personarum, cùm propter inundationes aquarum, et nivium, tamen (f. *tum etiam*) propter frigora, quae tunc vigent; volentes hujusmodi pericula evitare, de consilio et assensu nostri capituli, et rectorum existentium in synodo supradictâ, constituimus et ordinamus quòd de caetero dicta synodus celebretur in ecclesiâ Dertusensi secundâ dominicâ post festum Resurrectionis dominicae, non obstantibus constitutionibus synodalibus per praedecessores nostros editas, in quibus statutum fuerat quòd praedicta synodus in festo Sancti Martini deberetur annis singulis celebrari; quas in hoc penitus revocamus. Aliis contentis in ipsis constitutionibus in suo robore duraturis.

*Prima synodus Domini Berengarii (a), Dertusensis episcopi, anno M.CCC.XVIIII., XIII. kalendas Julii celebrata Dertusae.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Quòd rectores faciant residentiam in suis ecclesiis.*

Nos Berengarius, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, assistentibus nobis venerabilibus Bernardo de Barberano priore, et capitulo sedis ejusdem, ac rectoribus nostrae diocesis Dertusensis, et aliis qui consueverunt, et debent admitti ad synodum celebrandam, approbamus et confirmamus omnes constitutiones nostrorum praedecessorum, et spetialiter constitutionem domini Petri (b) bonae memoriae editam super residentiâ personali, à rec-

(a) Berengarii, scilicet, de Pratis; qui annis 24 hanc sedem tenuit, à 1316 ad 1340.

(b) Petri, scilicet, de Betteto in synodo celebrata anno 1307.

toribus in suis ecclesiis faciendâ. Mandantes eisdem sub poenâ in dictâ constitutione contentâ, quòd infra tempus seu terminum in eadem comprehensum omnes rectores nostrae diocesis in suis ecclesiis residentiam faciant personalem.

*Quòd nullus construat ecclesiam vel altaria in jam constructis ecclesiis, sine licentiâ episcopi.*

Quamvis sit in sacris canonibus constitutum ut nullus de novo sine licentiâ episcopi in aliquâ diocesi construere debeat, seu construi facere per se, vel aliam ecclesiam vel cappellam, nec aliquod altare erigere in ecclesiis jam constructis, et contra praedicta jura multi in Dertusensi diocesi quadam temeritate adhibitâ non dubitaverint in jam constructis ecclesiis erigere altare seu altaria, et de novo etiam ecclesiam construere; et parum esset jura condere, nisi esset qui eadem tueretur: idcirco nos Berengarius, Dertusensis episcopus, affectantes futuris periculis obviare, assistentibus nobis venerabilibus Bernardo de Barberano priore, et omnibus aliis de capitulo, praesenti constitutione statuimus quòd de coetero nullus, cujuscumque conditionis, gradus, aut status existat, aedificet aut construat per se, vel per alium aliquam ecclesiam, vel capellam, seu altare, vel altaria in nostrâ diocesi Dertusensi in jam constructâ ecclesiâ seu etiam construendâ, absque nostrâ vel sucessorum nostrum spetiali petitâ licentiâ, et obtentâ. Quod si à quoquam contrarium fecerit attemptatum, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto. Et eadem excommunicatione decernimus innodari omnes qui auctoritate propriâ, vel veriùs temeritate, in capellâ, seu altaribus sine nostrâ, vel sucessorum nostrorum licentiâ in antea construendis, ausi fuerint scienter celebrare missam, seu facere celebrari.

*Secunda synodus ejusdem Domini Berengarii de Pratis.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Anno Domini M.CCC.XXIII. idus Aprilis, dominus Berengarius, sanctam synodum celebrans, infra scriptam edidit constitutionum confirmationem.*

Nos Berengarius, divinâ miseratione Dertusensis episcopus, sanctam synodum celebrantes in ecclesiâ Dertusensi, comperimus ratione habitâ diligenti, quòd constitutionum pluralitas non solum confussionem, sed etiam periculum animarum inducit, dum ea quae constituuntur, non observantur debitâ reverentiâ, et legitimè, ut deceret; constitutiones de novo aliquas edere nolumus in praesenti. Sed mandamus firmiter et districtè quòd constitutiones per praedecessores nostros, et per nos editas in synodis celebratis in nostrâ diocesi, ab omnibus jurisdictioni nostrae subjectis inviolabiliter observentur. Qui verò inventi fuerint contemptores, poenas in ipsis constitutionibus appositas, meritò possint formidare.

*Ejusdem D. Berengarii synodus tertia.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Recitatio aliquarum constitutionum supradictarum, edita per dominum Berengarium die lunae, quae computabatur secundo kalendas Madii, anno Domini millessimo tricentesimo vigesimo quarto.*

Reverendus in Xpto. pater, et dominus dominus Berengarius, divinâ providentiâ Dertusensis episcopus, celebra-

vit synodum in sede Dertusensi, et fecit publicare quandam constitutionem sanctissimi in Xpto. patris et domini nostri Joannis, divinâ Dei providentiâ XXII. sacrae sanctae romanae ecclesiae summi pontificis, quae sic incipit: *Joannes episcopus, servus servorum Dei; venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis electis &c.* Item fecit publicari duas constitutiones reverendissimi domini patris, et domini Examenii, divinâ providentiâ sanctae Terraconensis ecclesiae archiepiscopi, editas noviter in sacro concilio Tarracone, quarum una incipit: *Praedecessorum nostrorum qui dampnarunt &c.* Nullâ aliâ constitutione editâ per dominum episcopum supradictum, sed alias constitutiones tam provintiales quàm synodales jam editas, fecit legi et etiam recitari.

### *Synodus IV. dom. Berengarii de Pratis.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Anno Domini MCCCXXVIII. die Martis XIII. kalendas Madii reverendus in Xpto. pater, et dominus Berengarius, episcopus Dertusensis, in synodo per ipsum celebratâ in ecclesiâ Dertusensi fecit constitutiones infrascriptas.*

### *Quòd obtinentes beneficium perpetuum vel annuale, intersint horis canonicis in ecclesiis in quibus beneficiati extiterint.*

Multorum rectorum, et aliorum nostrae diocesis querellis frequentius excitati compellimur urgente nos conscientiâ circa ea quae periculum animarum in subditis et clericis, et cultus divini ac honoris ecclesiarum desertionem

inducunt, salubribus remediis obligare. Sanè pervenit ad nos quòd nonnulli presbyteri cappellanias perpetuas vel annales in ecclesiis civitatis et diocesis nostrae obtinentes nolunt interesse missis et aliis horis canonicis nocturnis pariter et diurnis cum rectoribus vel vicariis qui eas celebrant, cantant, seu recitant in eisdem. Ea propter nos Berengarius, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, sanctam synodum celebrantes in nostrâ ecclesiâ Dertusensi; attendentes quòd de jure communi presbyteri, beneficiati, et alii in sacris ordinibus constituti tenentur horis canonicis diurnis pariter, et nocturnis in ecclesiis interesse, de consilio, et assensu venerabilium Raymundi de Paholaco prioris, et capituli nostri, approbantes, et confirmantes constitutiones nostras et praedecessorum nostrorum hactenus editas, et in suo robore perdurare volentes, spetialiter constitutionem bonae memoriae domini Petri (*a*) praedecessoris nostri, quae incipit: *Anno D. MCCCVIII. secundo idus Novembris, nos Petrus miseratione divinâ &c.* statuimus, et ordinamus, et in virtute sanctae obedientiae districtè praecipiendo mandamus quòd omnes presbyteri capellanias perpetuas vel etiam annuales in ecclesiis civitatis vel diocesis Dertusensis obtinentes, vel qui ea obtinuerint in futurum, sint, et teneantur interesse cum superpelliciis continuè missis et omnibus horis canonicis, diurnis pariterque nocturnis, quas in ecclesiis, in quibus ipsas cappellanias habent, vel de coetero habuerint, contingerit celebrari: ac etiam processionibus, quas extra

(*a*) Synodum unicam D. Petri de Betteto, episcopi Dertus. dedimus supra ad annum 1307. Et licet in ea de residentia clericorum actum fuerit, constitutio tamen hìc laudata alia videtur ab illa. Ex qua id rursus eruimus secundam synodum ab eodem Petro anno 1308 habitam, quae hactenus latet.

ipsas ecclesias per conventum nostrae sedis, vel per rectores ecclesiarum ipsarum, vel vicarios eorundem fieri contigerit, interesse nihilominus teneantur. Adicientes quòd nullus de praedictis presbyteris, cappellanias perpetuas vel annuales habentibus, audeat se absentare à locis in quibus ipsas cappellanias celebrare tenentur, absque rectorum ecclesiarum, in quibus dictae cappellaniae celebrandae sunt, vel eorum loca tenentium, licentiâ spetiali petitâ pariter et obtentâ; super quam licentiam concedendam rectorum ipsorum, et eorum loca tenentium conscientias oneramus; scientes quòd si praedicti presbyteri rebelles fuerint, vel etiam contumaces, eos poenâ debitâ, exigente justitiâ, fortiter puniemus. Mandantes nihilominus in virtute sanctae obedientiae omnibus rectoribus civitatis, et nostrae diocesis, et eorum loca tenentibus quòd si eos circa praedicta negligentes invenerint, vel rebelles, nos per suas litteras, vel saltem in sequentibus synodis de eorum negligentiâ, vel contumaciâ debeant certificare, ut eorum crescente contumaciâ, poenam etiam augeamus.

*Quòd rectores, vicarii, vel alii venientes ad civitatem Dertusae, se representent episcopo, vicario, vel officiali.*

Item statuimus et ordinamus de consilio et assensu prioris, et capituli praedictorum quòd si quis rectorum nostrae diocesis, vel vicarius, vel alius presbyter cappellaniam perpetuam, vel anualem in nostrâ diocesi obtinens, vel qui de caetero obtinuerit; ad civitatem Dertusensem contigerit ex quacumque causâ venire, nobis, si presentes ibidem fuerimus, vel vicario, seu efficiali nostro die quâ ipsam civitatem intraverit, vel saltim in crastinum se presentare, vel eisdem causam sui adventus ex-

primere teneatur, et idem de triduo in triduum, quamdiù ibidem fuerit, facere sit astrictus. Quòd si fortè praedicta facere noluerit, si rector, vel vicarius fuerit, XX. solidorum, si verò alius non habens curam animarum, X. solidorum poenam ipso facto incurrant.

*Item quòd rectores obtinentes beneficia non recipiant alias cappellanias.*

Avariciae coecitas et damnandae cupiditatis improbitas sic quorundam clericorum, tam curata quàm simplicia beneficia, perpetua seu annualia obtinentium occulos excecavit, quòd non contenti suis stipendiis, quibus commodè sustentari possunt, ad alia inhiant, cum vix unum dignè valeant obtinere: ea propter nos Berengarius, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, de consilio et assensu prioris, et capituli praedictorum, statuimus, et ordinamus quòd nullus rector vel vicarius perpetuus, vel temporalis civitatis vel nostrae diocesis, vel presbyter alius perpetuam, vel temporalem capellaniam obtinens in eisdem, vel qui ibidem eas obtinuerint in futurum, ipsas rectorias, vel cappellanias, vel vicarias tenendo audeat cappellanias alias annuales vel medias capellanias, vel etiam trentenaria celebrent, absque nostra, vel officialium nostrorum, vel archipresbytri Morellae in archipresbytratu suo licentiâ spetiali petitâ pariter, et obtentâ. Super quibus concedendis eorum officialium et archipresbytri conscientias oneramus. Qui verò contrarium fecerit, ingressum ecclesiae ipso facto, donec à nobis vel successoribus nostris dispensationem habuerint, sibi noverint interdictum. Poenam autem hujusmodi constitutionis ultimae post festum instans Sancti Joannis Baptistae mensis Junii locum sibi vendicare volumus, et non antea. Datis Dertusae in choro ipsius ecclesiae XIII.° kal. Madii anno Domini MCCCXXVIII.°

*Synodus V. Dom. Berengarii de Pratis episc. Dertus.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Anno Domini MCCC.XXX. die lunae, quae computabatur IX. kalendas Madii, reverendus in Xpto. pater, et dominus dominus Berengarius, divinâ providentiâ Dertusensis episcopus, celebravit synodum in ecclesiâ Dertusensi, in qua confirmavit omnes constitutiones provintiales, et synodales.*

Nos Berengarius, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, in sede nostrâ Dertusensi sanctam synodum celebrantes de assensu venerabilium Raymundi de Paholaco prioris, et capituli nostri, de certâ scientiâ confirmantes, et approbantes omnes constitutiones synodales, tam per praedecessores nostros, quàm per nos editas, quatenus non obviant, seu contradicunt constitutionibus provintialibus editis die lunae intitulatâ quarto kalendas Martii, anno Domini M.CCC.XXVIIII.º declaratis et confirmatis in provintiali concilio Terraconensi per reverendissimum in Xpto. patrem, et dominum dominum Joannem divinâ providentiâ patriarcam Alexandrinum, et administratorem in spiritualibus et temporalibus ecclesiae Terraconae. Quas in praesenti nostrâ synodo unà cum constitutionibus synodalibus praedecessorum nostrorum et nostris publicavimus seu fecimus publicari, et nihilominus de assensu praedictorum prioris et capituli facimus constitutionem infrascriptam.

*De mutatione poenae contra celebrantes sine licentiâ.*

Cùm in constitutione per nos editâ (*a*) quae incipit: *Avaritiae coecitas &c.* in transgressores ipsius poena suspensionis ab ingressu ecclesiae sit statuta; ex qua propter pronitatem hominum ad peccandum aliquos irregularitatis laqueum intelleximus incurrisse, et multos idem incursuros in posterum verisimiliter formidamus: idcirco volentes circa praemissa competentem adhibere medelam, attendentes quòd non est reprehensibile judicandum si secundum diversitatem temporum statuta quoque varientur humana, poenam praedictam suspensionis ab ingressu ecclesiae de certâ scientiâ revocamus, dictâ constitutione quantum ad alia in suo robore duraturâ. Statuentes ut transgressores constitutionis praedictae poenam XX. aureorum quotiescunque contravenerint ipso facto incurrant. Et nihilominus transgressores ipsi ad restitutionem eorum, quae contra constitutionem praedictam receperint per nos aut officiales, aut vices gerentes nostros, aut archipresbyterum Morellae in suo archipresbytratu in pios usus, ut de jure fuerit, convertendorum, nullâ profuturâ eis remissione, remaneant obligati. = Haec constitutio lecta fuit et publicata in choro ecclesiae Dertusensis die Jovis VI.° kal. Madii anno Domini M.CCCXXX.° praesentibus praedicto venerabili priore et capitulo dictae ecclesiae, et aliis rectoribus diocesis ibidem ad dictam synodum congregatis.

(*a*) In synodo anni 1328.

*Contra rectores absentes à suis ecclesiis ultra duos menses.*

Dudum bonae memoriae dominus Petrus (*a*) predecessor noster, attendentes quòd licèt sacris esset canonibus diffinitum ut rectores parrochialium ecclesiarum in suis ecclesiis teneantur personaliter residere; nonnulli tamen rectores parrochialium ecclesiarum diocesis Dertusensis contemnebant et negligebant in suis ecclesiis facere residentiam personalem, propter quòd gregis sibi crediti cura postponebatur, et ecclesiis ipsis debita subtrahebantur officia: cupientes ipsos canones inviolabiliter observari, ipsos de assensu sui capituli providè duxit poenae additione vallandos, statuendo ut universi rectores ecclesiarum parrochialium in suis tenerentur ecclesiis personaliter residere. Et quicunque post duos menses, ut praemittitur, à tempore publicationis constitutionis ipsius in suâ ecclesiâ negligeret residere, poenam X. aureorum se noverit incursurum. Sanè quia ex constitutione jam dictâ, quae divitibus praesertim et obtinentibus pinguia beneficia, et locis populosis praesidentibus modicam poenam secundum qualitatem reatus adjecit, modicus fructus, sicut experientia docuit, secutus extitit; quinimò pene ipsius facilitas nonnullis ex rectoribus ipsis vagandi, ac postponendi curam gregis sibi crediti tribuit materiam, sicque ecclesiis ipsis divina officia subtrahuntur, et in eis cura per eos negligitur animarum; idcircò nos Berengarius, miseratione divinâ Dertusensis episcopus, huic morbo volentes, prout ex debito tenemur pastoralis officii, congruam adhibere medelam, ut quos Dei timor à malo non revocat, temporalis saltim poena cohibeat à peccato: et fa-

(*a*) D. Petrus de Betteto in synodo habita ann. 1307.

cientes contra constitutionem hujusmodi quantum excedant poenâ docente cognoscant, poenam jam dictam ad equalitatem inter majora et minora obtinentes beneficia nihilominus reducentes: de consilio nostri capituli hac constitutione valiturâ perpetuò statuimus, et praedictae adicimus sanctioni, ut quicunque rector, curatus civitatis, aut diocesis Dertusensis à suâ ecclesiâ sine licentiâ nostrâ, vel successorum nostrorum abfuerit, nunc vel in posterum quacunque occasione vel causâ, nisi infra duos menses continuos ad eandem pro residendo continuò ibidem sine fraude reversus fuerit, à fructibus, ac perceptione fructuum sui curati beneficii cujuscunque anni, in quo sic excesserit, (quos in hoc casu dispositioni nostrae, et successorum nostrorum duximus reservandos) sit ipso facto suspensus, atque privatus. Et nihilominus contra ipsum non residentem aliter procedi valeat juxta et per canonica instituta.

*Contra rectores residentes in aliis hospitiis quàm in ecclesiâ propriâ.*

Item cum aliqui rectores nostrae diocesis, licet in ecclesiis suis residere se dicant et simulent, conducunt tamen seu emunt, seu alio modo procurant alibi hospitia seu domos, in quibus, etsi ad ecclesias proprias saepè vadant pro divinis officiis celebrandis, et ministrandis ecclesiasticis sacramentis, ut plurimum seu pro majori parte habitant, et sic residentiam fraudant: universis et singulis rectoribus nostrae diocesis prohibemus, ne alibi quàm in suis ecclesiis hospitium, seu domum habeant, vel teneant, quod vel quam inhabitent: sed in eisdem ecclesiis, ut tenentur, residentiam personalem, et continuam faciant sine fraude. Si quis autem fraudem hujusmodi facere repertus fuerit, à

fructibus sui beneficii, et perceptione eorum (quos dispositioni nostrae reservamus) hoc casu sit, quamdiù hanc fraudem fecerit, ipso facto suspensus atque privatus.

*Has duas Berengarii constitutiones, quae sequuntur, insertas reperimus synodo D. Arnaldi de Lordato anni 1343: quod exscribentium vitio et incuriae tribuere, quis dubitet?*

*Contra erigentes altaria sine licentiâ.*

Cùm nihil sit adeò clarum quin aliquam recipiat sollicitam dubitationem, idcircò nos Berengarius, miseratione divinâ episcopus Dertusensis, in sede nostrâ sanctam synodum celebrantes de consensu capituli nostri dubitationem apud quosdam exortam super constitutionem olim per nos editam quae incipit: *Quamvis sit sacris canonibus constitutum &c.* (*a*) amputare volentes, ipsam constitutionem, et poenas in ea contentas declaramus locum sibi vendicare si altaria erigantur in nostrâ diocesi, absque nostrâ, aut successorum nostrorum licentiâ spetiali, etiam extra ecclesias vel cappellas. In altaribus tamen ipsis extra ecclesias vel cappellas erigendis ad hoc tantum ut in eis per presbyteros noviter ordinatos primae missae celebrentur, vel ut in ipsis quando processiones pro pluviâ fieri continget valeat celebrari, dummodo in missis praefatis ibidem celebratis dicta altaria incontinenti exinde omninò removeantur: nec non quoad habentes à jure vel privilegio licentiam erigendi altaria. Dictam constitutionem et poenas in ea contentas declaramus et statuimus locum sibi nullatenus vendicare.

(*a*) Constitutionem istam edidit in synodo 1318 superius allatâ.

*Casus retenti per reverendum dominum Berengarium, episcopum Dertusensem, super confessionibus.*

Primus casus: si quis profiteatur credere haereticam pravitatem. Secundus: clericus symoniacus in ordine, vel beneficio. Tertius: clericus qui ab alieno episcopo se fecerit ordinari, licentiâ nostrâ non obtentâ. Quartus: clerici per saltum promoti aliquo ordine pretermisso. Quintus: incendiarii ecclesiarum. Sextus: illi qui suos filios occiderunt studiosè, vel etiam negligenter, absolvantur à suis confessoribus à peccato, quantumcunque sit publicum, et remittantur ad dominum episcopum ad reconciliationem recipiendam die Jovis sanctae, si est publicum, alias non est remittendus. Septimus: mulier quae de adulterio conceperit infantem, quem maritus credit esse suum, propter quem legitimi fraudantur hereditate paternâ; consulatur episcopus, nisi sit in articulo mortis.

*Synodus D. Arnaldi de Lordato, episcopi Dertusensis (a).*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Anno Domini MCCCXLIII. die Martis intitulata tertio kalendas Madii, dominus Arnaldus episcopus synodum in ecclesiâ Dertusensi celebrans edidit constitutiones infrascriptas.*

*Contra operarios et sacristas non reddentes computum de receptis, et expensis per ipsos.*

Cùm jure cautum existat quòd ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum usum debeant,

(a) Hic rexit ecclesiam Dertusensem ab anno 1341 ad 1346.

et non ad alium, salvâ quidem sedis apostolicae auctoritate, converti; cùmque fidedignorum relatione ad nos pervenerit quòd quidam layci nostrae civitatis, et diocesis, qui operarii seu sacristae ecclesiarum vulgariter nuncupantur, legata et alias donationes operi, luminariae, et sacristiae ipsarum ecclesiarum piâ fidelium devotione factas, ad alios usus in suarum periculum animarum convertunt; nos igitur episcopus praefatus volentes pias fidelium devotiones, ordinationes et voluntates juxta eorum intentionem observari, de consensu dicti capituli statuimus quatenus dicti operarii et sacristae annuatim infra unum mensem à fine sui regiminis computandum, de receptis et expensis per eos occasione sui officii successoribus suis in praesentiâ suorum rectorum seu vicariorum, et juratorum loci fidelem rationem et computum reddant. Et reliqua quae superfuerint suis successoribus tradant, et assignent. Quòd si praemissa non observaverint, poenâ excommunicationis innodentur.

*Contra operarios et sacristas tenentes in suis domibus vasa sacra.*

Item quia res sacrae, et benedictae non sunt per laycorum manus contractandae: intelleximusque quòd plures layci nostrae civitatis, et diocesis Dertusae, qui sacristae seu operarii ecclesiarum vulgariter nuncupatur, calices, indumenta sacerdotalia, et alia ecclesiastica ornamenta divino cultui deputata, divinis celebratis in ipsis ecclesiis officiis, dictos calices, indumenta, et alia ecclesiastica ornamenta ad domos suas privatas portant, et in eis custodiunt, et sub suis clavibus deponunt; nos igitur episcopus praefatus volentes dicto abusui obviare, de consensu dicti capituli statuimus et ordinamus, quòd deindè dicti ope-

tarii, sive sacristae layci dicta bona ecclesiastica ad suas domos privatas non defferant, nec in ipsis domibus sub suis clavibus ea teneant, seu reponant. Sed in ipsis ecclesiis in bonis archis, seu armariis firmis parrochianorum ecclesiarum ipsarum expensis in dictis ecclesiis fiendis, sub bonis clavibus et clausuris conservandis. Et per ipsos sacristas seu operarios dictis clavibus tenendis remaneant, teneantur, et custodiantur, et conserventur. Quas archas, seu armaria infra trium mensium spatium à tempore publicationis praesentis statuti in eorum ecclesiis faciendae fieri volumus et mandamus. Quòd si huic praesenti statuto aliqui non paruentes fuerint, contra ipsos procedemus prout de jure fuerit procedendum.

*Contra tonsuratos et in minoribus constitutos, et laycos concubinarios.*

Item cùm contra clericos beneficiatos et in minoribus ordinibus constitutos publicè concubinas detinentes, olim fuit per nostros praedeccessores salubriter ordinatum; quia tamen, prout percepimus, quamplures sunt clerici tonsurati, et in minoribus ordinibus constituti, ac layci in nostrâ civitate et diocesi in suis domibus concubinas in animarum suarum periculum ac Dei offensam, et rei malae exemplum tenere publicè non verentur; contra quos spetialiter per eos non extitit ordinatum: idcircò nos episcopus praefatus volentes animarum ipsorum periculis obviare, et eorum saluti providere, ne sanguis eorum de manibus nostris exquiratur, de consensu dicti capituli statuendo inhibemus ne clerici in minoribus constituti ordinibus, seu layci, vel etiam simplices tonsurati, qui nunc sunt, vel in posterum fuerint in civitate et diocesi Dertusae, in domibus suis publicè tenere praesumant concubinas, immò si eas in

praesenti, quod absit, habeant, à se incontinenti, et à suis domibus abjiciant et expellant, easdem, vel alias deinceps non recepturi, nec etiam admissuri. Clerici verò praedicti et layci huic praesenti inhibitioni, et statuto non parentes, ter moniti excommunicationis sententiâ innodentur. Statutis aliis super haec contra clericos in majoribus constitutos et beneficiatos in suo robore duraturis.

*Contra rectores non habentes sufficientes lectos in suis abbaciis.*

Item quia jure testante clerici curam animarum habentes ad hospitalitatem decentem et congruam juxta facultates suarum ecclesiarum causâ pietatis et eleemosynae sunt astricti: nec non et suum episcopum visitantem, et alios superiores suos idem officium exercentes, quibus hoc competit juxta statutum et conditionem visitantium, et visitatorum, recipere, procurare et tractare tenentur; idcircò nos episcopus praefatus ad memoriam reducentes quod pridem officium visitationis exercentes reperimus, et experientiâ comprobavimus, quòd quam plures rectores et vicarii perpetui ecclesiarum curam animarum habentes in nostrâ diocesi Dertusensi charent lectis in domiciliis, hospitiis, seu domibus ecclesiarum ipsarum: quam pluresque rectorum, et vicariorum ipsorum lectos paucos, et insufficientes, et nullius vel saltim modici valoris, ruptos, fractos, attritos in dictis suis domiciliis habent, adeoque potius cedunt orrori aspicientibus, quam honori ipsorum rectorum ac vicariorum ecclesiarum suarum: praemissis attentis et pluribus aliis justis causis, quae animum nostrum rationabiliter movent, honori, et utilitati ecclesiarum dictae nostrae diocesis, viis quibus cum Deo possumus totis nostris desideriis anhelantes, et negligentiae et ignaviae

rectorum et vicariorum praedictorum, qui lectis condecentibus charent in hospitiis seu domibus praedictis, honorem suarum ecclesiarum, et suum non attendentium, salubriter obviare volentes: statuimus et maturâ deliberatione prehabitâ de consensu dicti capituli ordinamus, quòd omnes rectores ac vicarii perpetui curam animarum in dictâ nostrâ diocesi obtinentes, quorum redditus centum librarum Barchinonensium summam communi extimatione non attingunt, quatuor lectos bonos, et decentes, pannis munitos, et complentes, valentes ad minus XV. libras Barchinonenses si de presenti non habent, habeant: ita videlicet quòd infra annum presentem duos saltem, et infra sequentem alios duos lectos in dictis hospitiis et domibus habeant. Qui verò centum libras Barchinonenses, vel supra in redditibus communi extimatione habent, quinque lectos bonos, sufficientes et munitos, ut supra dictum est, in dictis hospitiis et cappellaniis habeant, si de presenti non habent, valoris XX. librarum Barchinonensium ad minus, videlicet infra annum presentem duos, et ex tunc infra proximè sequentem tres, suos, non acommodatos, non precario receptos, et continuè teneant in eisdem domibus, seu cappellaniis post mortem eorum ibidem remansuros. Qui verò huic nostro statuto effectualiter non paruerit, poenam centum solidorum Barchinonensium nobis applicandorum ipso facto incurrat. Si qui tamen sint rectores, seu vicarii redditus adeò tenues habentes, quòd dictos tres lectos infra dicta tempora habere bono modo non possent, ipsos sub presenti nolumus comprehendi statuto, sed ipsos nostro arbitrio ducimus retinendos. Item quòd ista statuta unà cum aliis nostrorum predecessorum habeant, et conservent, et publicent in suis ecclesiis quàm citò poterunt sub poenâ XX. solidorum nobis ipso facto, nisi fecerint, applicanda.

*Quod rectores scribant nomina confitentium, et excommunicatorum.*

Mandamus, et ordinamus quòd quilibet rector, seu vicarius curam animarum habens, habeat et teneat in ecclesiâ suâ, seu sibi commissâ registrum in quo scribat, seu scribi faciat nomina parrochianorum suorum sibi confitentium, ut sic in morte eorundem parrochianorum de ipsorum confessione testimonium perhibere valeant veritati. Et nihilominus habeat et teneat in suâ seu sibi commissâ ecclesiâ registrum in quo scribat, seu scribi faciat nomina excommunicatorum, et eorum ad quorum instantiam, et per quos judices fuerint excommunicati unà cum die, et anno excommucationis ipsorum. Et dicta registra nobis et successoribus nostris anno quolibet, cum in ecclesiis eorum visitationis officium nos contigerit exercere, debeat exhibere. Quod si non fecerit, juxta voluntatem et arbitrium nostrum punietur.

*D. Fr. Bernardi de Oliver, episcopi Dertusens., constitutio de festo S. Augustini solemniter celebrando, et de ratione expensarum capitulo reddenda.*

EX AUTOGR. ECCL. DERTUS.

Noverint universi quòd die martis intitulatâ quarto kalendas Junii, anno Dominicae Incarnationis M.CCCXLVII. reverendus in Xpto. pater dominus frater Bernardus, Dei gratiâ episcopus, et honorabilis Guillermus de Sancto Minato, prior, et totum capitulum sedis Dertusae congregati pro capitulo in hospitio episcopali, fecerunt legi, et publicari coram eisdem per me Guillelmum Geraldi, notarium publicum Dertusensem, et infrascriptum, in prae-

sentiâ videlicet et testimonio discreti Petri Venrelli rectoris ecclesiae de Azchon, et Johannis Salvani literati civis dictae civitatis, ad haec pro testibus vocatorum et rogatorum quandam scripturam papiream, tenorem qui sequitur continentem. Quoniam gaudent in coelis animae sanctorum, qui Xpti. vestigia sunt secuti, gaudet profectò creator aeternus cùm suam humani generis creaturam post triumphum de carnis nexibus habitum conspicit palmam gloriae meruisse: gaudent nec mirum cives Angelici cùm terrenorum incolam terrae tenebris cultu fidei, et devotionis splendore fugatis, factum coeli civem et compatriotam sanctorum civium intuentur. Et quia ad divinae laudis obsequium Basillicae sanctorum in titulum sunt erectae, ut in eis quae domus orationis existunt, suffragia bonorum agminum implorentur. Quorum devotis ordinationibus, et orationibus illa et alii Xpti. fideles aeternae foelicitatis praemia consequantur. Idcircò nos frater Bernardus, divinâ miseratione Dertusensis episcopus, de consensu venerabilium Guillermi de Sancto Minato, prioris, et capituli nostri cùm in ecclesiâ metropolitanâ, et aliis quasi omnibus universi celebrentur hymni tam in diurnis horis omnibus, quàm nocturnis, volentes sibi adherere constituimus et ordinamus, quòd de coetero in nostrâ ecclesiâ, et tota nostra diocesi dicantur solempniter hymni tam horis diurnis, quàm nocturnis. Item statuimus quòd de coetero non dicatur *Miserere mei*, in antiffonis illis *O Sapientia* &c. prope Natale Domini, prout hactenus fuit fieri consuetum. Item ad honorem gloriosissimi Beati Augustini, de cujus regulâ sumus, statuimus et ordinamus, quòd de coetero festum praeffati Beati Augustini fiat cum sex cantoribus, et festum Translationis ejusdem cum quatuor cantoribus. Item quôd gloriosissimum festum Corporis Xpti. habeat octavas solempnes, sicut festum Assump-

tionis Beatae Mariae. Et dictus venerabilis prior de voluntate domini episcopi et capituli praedictorum promittit dare unicuique canonico in dicto festo Beati Augustini duodecim denarios ultra illas tres carnes, quas recipere consuevit in festo praedicto; et unicuique presbytero tres denarios, et unicuique diachono, subdiachono, monacho, dormitorario, et unicuique pauperi duos denarios, et non aliis. Alma mater ecclesia nonnulla plerumque rationabiliter ordinat et consultè, quae postmodum suadente subjectorum utilitate in melius statuit, rationabiliusve commutat. Sanè in nostrâ ecclesiâ Dertusensi fuit antiquis temporibus constitutum quòd prior, camerarius, hospitalarius et infirmarius quilibet ipsorum teneatur bis in anno reddere rationem et computum de receptis et expensis episcopo et capitulo Dertusensi: primò videlicet post festum Omnium Sanctorum infra quindecim dies: secundò autem post festivitatem Pentechostes infra quindecim dies. Et si aliquis praedictorum in reddenda ratione seu compoto infra tempus superius assignatum negligens, vel remissus fuerit, aut rebellis, incurrat suspensionis sententiam ipso facto. Eademque poena suspensionis imponitur capitulo Dertusensi, si infra tempus praedictum in exhigendâ ratione, vel compoto negligens fuerit, vel remissum. Verùm quia ad redditionem dicti compoti, quod semel in anno, videlicet infra praedictas quindecim dies post festum Pentechostes reddi solummodo consuevit, praefati administratores episcopus aut capitulum commodè vaccare non possunt divinis officiis quae infra octavas dicti festi celebrare habent, ac etiam propter solempnitatem festivitatis Corporis Domini nostri Jesu Christi quae infra praedictos quindecim dies post editionem dicti statuti noviter....plurimum occupati; quia etiam praedictum compotum de toto anno integraliter reddi, sive claudi non

potest infra terminum supradictum, pro eo quia annus qui in kalendis Junii quoad redditionem compoti incipit, quia ante dictos quindecim dies perfectus non est, nec etiam infra ipsos: idcircò nos frater Bernardus, divinâ permissione, episcopus Dertusensis et Guillermus de Sancto Minato prior, et totum capitulum ejusdem ecclesiae memoratum statutum quoad infrascripta ex praemissis causis meritò commutantes, statuimus et ordinamus quòd de coetero praedicti prior, camerarius, hospitalarius et infirmarius teneantur reddere compotum seu rationem de receptis, et expensis episcopo et capitulo Dertusensi singulis annis infra et per totum mensem Junii; ipsumque compotum seu rationem semel in anno tantummodo, et infra ipsum mensem reddere sint astricti, ac infra id tempus dictum compotum seu rationem capitulum Dertusense exhigere teneatur. In coeteris autem supradictum statutum in suo robore. volumus permanere. Et ut de praemissis omnibus et singulis in futurum haberi valeat plena fides, petimus et requirimus per vos presentem notarium nobis fieri publicum instrumentum. Ad quorum reverendi domini episcopi, prioris et capituli instantiam, et requisitionem, ego dictus notarius qui praemissa legi et publicavi ut supra continetur, ac ipsis interfui, ea in hanc publicam formam redigi et scribi jussi. Quae fuerunt acta in civitate Dertusensi, videlicet in hospitio episcopali jam dicto die, horâ, et anno quibus supra, atque presentibus vocatis et rogatis testibus antedictis &c.

Nos frater B. Dei gratiâ Dertusensis episcopus, praedicta firmamus.

Ego Guillermus de Sancto Minato, prior Dertusensis, subscribo.

Ego Franciscus de Crevenyo, archidiaconus Dertusensis, subscribo.

Ego Raymundus de Tayano, hospitalarius Dertusensis, subscribo.

Ego Franciscus de Monte Olivo, archidiaconus de Cuyla, subscribo.

Ego Laurentius Bontro, canonicus Dertusensis, subscribo.

Ego Jacobus Sortor, prior claustralis Dertusae, subscribo.

Ego Joannes de Castis, canonicus Dertusensis, subscribo.

Ego G. de Scalis, canonicus Dertusensis, subscribo.

Ego Geraldus de Robione, infirmarius ecclesiae Dertusensis, subscribo.

Ego Romirus Martini de Peralta, succentor Dertusensis, subscribo.

Ego Petrus de Castro veteri, canonicus Dertusensis, subscribo.

Ego Jacobus de Bancnaciis, canonicus Dertusensis, subscribo.

Sig✠num Guillermi Geraldi, notarii publici Dertusae, qui predictis interfuit, et haec scribi jussit.

Sig✠num Joannis Salvani qui haec scripsit, jussu Guillermi Geraldi notarii publici Dertusae, cum raso, et emendato in IX. linea ubi dicitur rationabilius. Et in X. linea ubi dicitur festivitatem. Et in XI. linea ubi dicitur fuerit vel remissum. Et in XV. linea ubi dicitur et infra. Et in penultima linea ubi dicitur prioris die et anno praenotatis.

*Modus seu forma qualiter synodus celebratur in ecclesiâ Dertusensi.*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

Notta quòd synodus regulariter debet celebrari dominicâ secundâ post Pascha, in qua cantatur evangelium *Ego sum Pastor bonus:* et quacumque die septimanae celebratur synodus. Post matutinas monachi chorum praeparent totum de tapetis. Et cappellanus sacristiae paret cathedram episcopi de tapeto, et aurcalibus (f. *aurealibus*) et pannis more solito. Paret etiam in medio chori, ubi legendum est evangelium *Ego sum Pastor bonus*, cum panno, sive capsono sex cantorum. Aperiat etiam tabernaculum, et altare paret solemniter. Postea in aurora pulsetur squila parva pro prima, et inmediatè dicatur missa in cappella Sancti Stephani. Nec alia aliqua missa dicatur, nisi pro festo, si sit, vel pro parteria; quia si festum novem lectionum intervenerit istis tribus diebus, fit officium festi. Dictâ primâ, pulsetur pro tertia cymballum majus, et dum pulsatur conveniant omnes. Iterum autem dum tertia cantabitur dominus episcopus, si voluerit, paret se, vel canonicus cum ministris, indumentis rubeis. Post tertiam classicum pulsetur, sicut in festis duorum cantorum, et sint cantores capis rubeis induti in choro: et incipiant officium Sancti Spiritus scilicet, *Spiritus Domini replevit orbem*, cum solemnitate et spatiose. Et hoc est verum, nisi fuerit festum alicujus sancti, quia tunc dicitur missa de illo sancto cum indumentis, et capis congruentibus ipsi festo. *Kirieleyson, Gloria in excelsis, Credo, Preffatio* dicentur. Dum missa cantatur, cappellanus sacristiae paret ornamenta episcopalia: scilicet, mitram, et crossam, indumenta alba episcopalia pro episcopo, diachonus, et subdiachonus et lignum Do-

mini, et duo socii sint cum capis albis. Dictâ missâ, et datâ benedictione dominus episcopus cum ministris sacristiam intrent, et ablutis manibus induit se amictu, tunicâ, stolâ cum capâ, mitrâ et crossâ, diachonus in dalmaticâ, subdiachonus in tunicâ, et duobus cum capis, et praecedentibus duobus ceroferariis et turibulo fumiganti intrent chorum. Interim cappellanus sacristiae cathedram prioris majoris paret episcopo, et episcopus intrans chorum eat ad sedendum in cathedra prioris, ad hoc ut ea quae dicturus est, melius per omnes audiri possint. Cùm autem intrat, omnes de choro assurgant, et diachonus petitâ benedictione ad legendum evangelium, vadat et legat evangelium *Ego sum Pastor bonus.* Sed si in alio tempore celebretur synodus, dicatur evangelium *Sint lumbi vestri praecincti.* Dicto evangelio domino episcopus debet incipere hymnum *Veni creator Spiritus* altâ voce, qui complete dicatur. Quo finito dicat dominus episcopus ℣ *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium:* ℟. *Et tui amoris in eis ignem accende.* = *Dominus vobiscum. Oratio: Deus qui corda.* Qua dicta omnes sedeant, et fiat sermo in latino. Post quem per notarium episcopi legantur rectores qui debent sigillatim respondere cùm nominantur, vel pro eis procuratores eorum; quibus publicatis dominus episcopus moneat clericos, et corrigat eos de vitâ, de vestibus, de incesu, statu, de paramentis ecclesiarum, de ordine suo, et ut morem majoris ecclesiae servent, et de aliis quae viderit corrigenda. Et postea legantur constitutiones synodales, et provintiales. Deinde si aliquis conqueratur de aliquo, sive de clerico, sive de layco, audiatur in suis justis petitionibus. Moneantur etiam rectores de opere ecclesiae, et de aliis de quibus dominus episcopus videbit expedire. Quo finito pulsetur ad sextam, et eâ decantatâ vadant ad hospitia sua.

*Secunda dies synodi.*

Secundâ die synodi verò levantur tapeta de choro, sed omnia sicut heri pulsentur, et fiant: omnibusque congregatis dum cantatur tertia sacerdos induat se cum suis ministris ad missam, in qua tenentur alba indumenta; et pulsato clasico cantores capis albis induti in choro incipiant officium Beatae Mariae Virginis, scilicet, *Salve sancta parens*, spatiosè, et solemniter *Kirie eleyson*, cum versibus *Gloria in excelsis*, *Credo*, *et Prephacio* dicantur. Post missam continuatâ synodo, quae de novo sunt factae constitutiones publicantur, et si aliqua gravamina fuerant proposita, reducantur ad debitum statum. Tractantur etiam alia quae fuerint tractanda, et sic fiat deinceps usque ad ultimam diem, quâ debet finiri synodus: qui si talia negotia immine,nt, quae infra tres dies non possint finiri, differatur quantum necesse fuerit. Quo facto pulsetur ad sextam, et ea dicta petant omnes ad habitationes suas; et ante meridiem clauditur tabernaculum, et altare plicatur, et tapeta, et alia ornamenta de choro removeantur.

*Tertia dies synodi.*

Tertiâ die, aliàs ultimâ synodi pulsatâ tertiâ, et omnibus congregatis paret se dominus episcopus, vel canonicus dum tertia dicitur in choro cùm suis ministris, indumentis nigris, pulsatoque clasico, duo capis nigris induti incipiant officium defunctorum, scilicet, *Requiem aeternam*: et ordinentur orationes sicut in commemoratione omnium fidelium defunctorum. Dictâ missâ fiat processio pro omnibus fidelibus defunctis per ecclesiam et per claustrum: et si non pluit, vel ventus vigeat, vel nimis luta, itur ad

Sanctum Joannem de Campo, et fiat processio, sicut in commemoratione omnium fidelium defunctorum est ordinatum. Et si propter dicta impedimenta non vadat processio ad Sanctum Joannem, fiat processio per ecclesiam, cluastra, et cimiterium, sicut in commemoratione omnium fidelium defunctorum. Et reversâ processione in choro, fiat sermo. Deinde dominus episcopus moneat, et roget rectores, et alios clericos totius episcopatus, quòd omnes unâ die celebrent missas pro episcopis, et fratribus ecclesiae defunctis, et pro benefactoribus nostris. Quo facto et dictâ missâ et decantatâ sextâ ad prandium accedimus. Et notta quòd sermo non fit, nisi primâ die, et ultimâ tantum: nec legitur evangelium nisi primâ die. Et si fortè dominus episcopus non est, et vicarius suus celebrat synodum, canonicus indutus cum ministris intrat chorum post missam, et stat ante cathedram prioris, et diachonus vadit ad legendum evangelium; quo finito dicitur hymnus, *Veni Creator Spiritus*, et post fiat sermo. Interim sedeat canonicus cum ministris.

### *Regula.*

Nota: quòd si dominus episcopus celebrat synodum à festo Paschae usque ad festum Omnium Sanctorum, processio fit cum superpelliciis per omnes, exceptis cantoribus qui capas nigras ciricas portant. Si autem celebratur à festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha, tunc canonici et beneficiati ecclesiae portent capas nigras, et coeteri rectores, et clerici superpellicia, et cantores dictas capas nigras, seu ciricas.

*Duplex synodus D. Othonis de Moncada, episcopi Dertusens.* (a).

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Constitutiones reverendi domini Othonis, episcopi Dertusensis.*

Anno Domini millesimo, quatuor centesimo, trigesimo secundo, die sabbati, quae computabatur undecima mensis Julii, ordinationes infrascriptas fecit reverendus in Christo pater dominus Otho, Dei gratiâ Dertusensis episcopus, in congregatione sui cleri, quam fecit in villâ Uldeconae. Post verò idem reverendus dominus episcopus in solempni synodo, quam in suâ Dertusensi ecclesiâ cum şuo honorabili capitulo, et clero congregavit, dictas ordinationes aliquibus correctis, additis, et mutatis de consensu praedictorum, et aliquibus de novo additis, voluit et decrevit vim constitutionum habere, et pro constitutionibus observari, et inter alias constitutiones synodales collocari; quae publicatae fuere in dictâ synodo die primâ Februarii anno à nativitate Domini M.CCCC.XXXIII.° in dictâ ecclesiâ Dertusae, quarum tenor talis est.

*Quòd curam animarum habentes, faciant unum librum, in quo scribant nomina confitentium, et comunicantium per totum circulum anni.*

Sicut per babtismum, quae est prima tabula post nau-

(a) Tenuit Otho ecclesiam Dertusensem ab anno 1415 ad 1473: concilio Basileensi interfuit, tum et inter S. R. E. cardinales adscitus est.

fragium, vetus exuitur, et induitur novus homo; sic per, secundam tabulam, quae est poenitentia, resurgimus post peccatum, et ad portum ducimur salutarem, cujus praecipua pars oris confessio inter coetera computatur. Verùm quia multi utriusque sexus circa eandem negligentes nostris temporibus reperiuntur, jura et sacra mandata, tam apostolica, quàm provintialia, et synodalia circa haec edita contemnendo: idcirco nos Otho, Dei gratiâ episcopus Dertusensis, ut animarum periculis de salubri remedio provideatur, in hac sacrâ synodo de consensu honorabilium prioris, et capituli ejusdem ecclesiae Dertusensis, prout inferius continetur, duximus providendum, statuendum, et etiam ordinandum. In primis statuimus, et etiam ordinamus quòd quicunque curatus, rector, aut vicarius, seu quivis alius curam animarum regens, attento quod annus quoad perceptiones fructuum, et ad servitutes beneficiorum curatorum incipit in istâ nostrâ diocesi primâ die mensis Madii, faciat librum juxta constitutionem super his editam per bonae memoriae Arnaldum praedecessorem nostrum, quae incipit: *Mandamus, et ordinamus*. Quem incipiat facere eadem die non in papirea fustra, et troces, sed in bonâ formâ, ubi nomina omnium qui confitebuntur scribantur, ac etiam illorum qui communicabunt, et sic per totum cujuslibet anni circulum dictum librum continuent taliter quòd in fine anni de animabus sibi commisis Deo, ac nobis seu ad deputatos debitam valeant reddere rationem.

*Quòd curati inducant pro viribus omnes parrochianos suos ad confitendum.*

Item statuimus quòd praedicti curati pro viribus suis inducant omnes suos utriusque sexus parrochianos, tam

clericos, quàm laycos, qui ad annos discretionis pervenerint, ad confitendum, et communicandum frequentibus monitis, exortationibus congruentibus. Et si parrochianorum aliqui voluerint alteri, quàm suo confiteri curato, de ejus licentiâ albarano, seu scripturâ, aut vivae vocis oraculo ipsius cui confitebuntur dictum suum teneantur certificare curatum, ut ulterius sacratissimum Eucharistiae sacramentum à suo valeant curato dignè recipere, aut de ejus licentia ab alio presbytero, seu religioso, cui hoc curatus decreverit commitendum.

*Quòd omnes illi, quibus data est licentia audiendi confessiones, teneantur etiam habere librum superius dictum.*

Item quòd religiosi cujuscumque religionis existant, et alii presbyteri quicunque, quibus per nos, seu vicarium nostrum dabitur licentia audiendi confessiones in dictâ diocesi, aut per curatum parrochialem in parrochiâ suâ juxta constitutionem provintialem domini Johannis, archiepiscopi Terraconae: item cum in edita decretali, et etiam constitutionem domini legati de Fuxo quae incipit: *Cum in ecclesiae corpore.* Quibus adjicere intendimus; teneantur similem librum facere, et albarana dare omnibus qui sibi confitebuntur. Qui libri, seu albarana tradantur curatis parrochialibus. Et similia albarana teneantur parrochiani habere, qui extra diocesim fuerint confessi ab illis quibus confitebuntur, ut per illos et illa suus curatus parrochialis sit de eorum confessionibus certificatus. Et nisi dictum librum et conscriptionem fecerint dicti religiosi, et alii presbyteri, nullatenus admittantur ad confessiones audiendas, quantumcunque licentiam, seu licentias à nobis, seu vicario aut officiali nostro habeant, et

obtineant in quacunque formâ verborum. Et ut firmius praedicta observentur, volumus, et mandamus, quòd in licentiis concedendis dictis religiosis et saecularibus clericis expressè ponatur clausula tenoris sequentis: *Ita tamen quòd nomina illorum qui vobis confitebuntur, conscribere teneamini, et tradere parrochiali curato illorum: aliàs praesens licentia nostra nullius sit valoris, vel momenti.*

*Quòd curati teneantur ponere in eodem libro nomina illorum, quos per albarana scient confessos esse, et communicasse.*

Statuimus etiam quòd praedicti curati teneantur in dicto libro suo super eos fiendo, ponere nomina omnium qui eis, aut aliis confitebuntur, de quibus per libros, seu albarana, aut oraculo vivae vocis, ut praescribitur, erunt certificati; nec non nomina omnium, qui comunicabunt, seu de consilio suorum abstinuerint confessorum à perceptione Eucharistiae sacramenti, qui tales habentur pro excusatis, et ad aliam partem nomina omnium illorum, qui licet fuerint confessi, non comunicaverint; tum et ad aliam partem nomina omnium illorum, qui non fuerint confessi, nec comunicaverint anno illo.

*Quòd praedicti vicarii, sive curati faciant copiam de dicto libro, quem tradant officiali nostro.*

Statuimus etiam et ordinamus quòd quilibet dictorum curatorum omni anno sibi retentis originalibus faciant copiam de libro sic per eum tam ex sibi confessis, quàm per alios de quibus erit, ut praedicitur, certificatus, composito et facto: quem sine alia monitione, et mandato tradat, seu mittat officiali nostro de, et sub cujus officialatu existat, ut ejus parceatur laboribus, et expensis, vide-

licet usque ad decimam quintam diem post Pascha Dominicae Resurrectionis, quâ dominicâ cantatur *Ego sum Pastor bonus*, sub poenâ centum solidorum. Quae poena in tribus aequalibus partibus dividatur; quarum una operi sedis, alia fabricae illius ecclesiae, cujus erit rector, seu vicarius, et reliqua tertia procuratori fiscali domini episcopi adquiratur; ut ex hiis officialis certificatus, nos de praemissis valeat veridicè informare, seu providere ut animarum periculis congruentibus remediis sucurratur.

*Quòd hi qui sacros ordines habent, et tamen sunt impediti ad missarum celebrationem, teneantur quolibet anno saltim quinque vices sumere sacramentum Eucharistiae.*

Verùm quia ex sacratissimae Eucharistiae susceptione à malo retrahimur, et confortamur in bonum, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementa: cùm debeant quoque presbyteri, sicut praefulgent gradus honore, coeteros instruere opere virtuoso: idcircò praemissis adicere decrevimus, quòd presbyteri cujuscumque gradus, aut dignitatis existant, qui senio, aut alia legitima causâ à celebrationis exercitio sunt, aut erunt de coetero excusati, ut edificent exemplo, et coeteros tam clericos, quàm laycos ad salutem animarum perducant, quinque vicibus saltim in anno quolibet publicè in missis solempnibus in ecclesiis, ubi moram traxerint, videlicet diebus Nativitatis Domini nostri Jesu Xpti., Resurrectionis ejusdem, Pentecostes, et Assumptionis Beatae Virginis gloriosae et in celebratione Omnium Sanctorum comunicare teneantur. Item quòd beneficiati, qui non erunt presbyteri, sed erunt in sacris ordinibus constituti, eorum vestigia insequentes teneantur totidem, et similibus diebus anno quolibet etiam publicè in ecclesiis, ubi moram traxerint, comunicare.

Item quòd alii beneficiati non presbyteri, aut in sacris non constituti teneantur ter; aut saltem bis quolibet anno comunicare juxta constitutionem in sacro Terraconensi concilio editam, quae incipit: *Item cum clerici*, scilicet diebus Nativitatis Domini, et Resurrectionis ejusdem, et Pentecostes. Item quod coeteri utriusque sexus christiani, qui ad annos discretionis pervenerint, exortentur juxta sacrorum canonum statuta ter in anno comunicare, sed ad minus semel compellantur per eorum curatos juxta canonem *Omnis utriusque sexus*, et constitutionem provintialem superius editam in sacro Terraconensi concilio, quae incipit: *Ne citra ea* &c.

*Quòd curati reverenter, et devotè tractent sacra.*

Volumus insuper et ordinamus quòd rectores et alii curati quibus ex animarum curâ onus incumbit, sic circa celebrationes missarum, collocationes sacramentorum, et alia officia divina, et ecclesiarum regimina sint attenti, ut eorum exemplo coeteri inducti tam clerici quàm layci, in executione divini cultus reddantur efficatiores, et de animabus et curis sibi comissis Altissimo valeant debitam reddere rationem.

*Quòd omnes beneficiati non curati teneantur pro qualibet librâ reddituum suorum beneficiorum tres in anno missas celebrare.*

Sanè quia exigui missarum celebratione animae fidelium tam vivorum, quàm deffunctorum à peccatis purgantur, vitae atque salutis aeternae suffragia consequuntur, et ut piis votis instituentium ecclesiastica beneficia satisfiat, et fidelium mentes ad alia instituenda devotius inducantur;

ordinamus quòd coeteri beneficiati non curati residentes in beneficiis suis teneantur secundum quotam quantitatem, quam recipiunt de beneficiis suis, in ecclesiis et altaribus ubi eorum beneficia sunt instituta, pro valore cujuslibet librae reddituum, quos inde habet, ad minus tres in anno missas celebrare, aut ibidem facere celebrari per alios presbyteros substitutos. Salvis tamen semper instituentium dispositionibus, quae frequentiores celebrationes et servitia exigunt, et disponunt.

*Quòd ponantur substituti in beneficiis absentium, quibus provideatur de quartâ parte reddituum.*

Providemus insuper ad servitia beneficiorum absentium, quòd illis deserviatur per praesentes et residentes, petitâ prius et obtentâ à nobis seu nostro vicario generali licentiâ serviendi, ut in aliis constitutionibus praedecessórum nostrorum est cautum. Et ut pro labore servitutis remuneratio uniformiter subsequatur, cùm in hoc non reperiamus esse provisum, statuimus de consilio praedictorum, quòd taliter servitio substitutus habeat quartam partem reddituum illius beneficii, cui deserviet, ut est dictum, nullâ factâ deductione onerum, vel compensâ. Et haec taxa in tota nostra diocesi generaliter observetur. Exceptis tamen constitutionibus, et consuetudinibus nostrae ecclesiae Dertusensis circa substitutos comensalium ejusdem, ac dispositionibus instituentium circa servitutes aliter disponentium, in quibus nullatenus intendimus aliquid immutare, derogare, seu innovare.

*Quòd substituti teneantur celebrare pro qualibet librâ quartae partis septem missas quolibet anno in altari sub cujus invocatione est institutum beneficium.*

Et ut debitum servitium impendant pro remuneratione laboris, etiam statuimus quòd quilibet substitutus in altari invocationis illius beneficii, ad quod serviendum substituitur, septem missas pro qualibet librâ quartae partis, quam pro dicta servitute, ut est dictum, percipiet, celebrare teneatur; super quibus et de quorum tam residentium, quàm substitutorum celebratione procuratores presbyterorum ecclesiarum si ibidem fuerint, alioquin curati in qualibet ecclesiâ regentes teneantur sua facere protocolla, ac scripturas, ubi missas, quae per beneficiatos, aut eorum substitutos celebrabuntur, omni fraude cessante conscribantur. Et si beneficiatus, seu ab eo substitutus, ut praemittitur, cessaverit celebrare, defalsetur, et detrahatur tali servitium negligenti tantum, quantum cessaverit pro quotâ cujuslibet missae, ut est superius ordinatum; et illud quantumcunque fuerit per rectorem illius ecclesiae, vel vicarium, ac per procuratorem presbyterorum, ubi talis procurator fuerit, concorditer detur, et distribuatur in alios presbyteros, qui dictas missas suppleant, ac celebrent, ut est dictum. Quòd si de distributione hujusmodi concordare nequiverint curatus et procurator, ex tunc illa quantitas sacristiae illius ecclesiae pro reparationibus, seu ornamentis ejusdem adquiratur. Et ut ad praemissa conscribenda dicti procuratores, aut suo casu curati attentius inducantur, cùm sentiens onus, et commodum sentire debeat, detur illi conscribenti quarta pars illius quantitatis, quae ex talibus negligentibus substrahetur, residuis tribus partibus in missis, aut repa-

rationibus, seu ornamentis distribuendis, ut supra dicitur, et continetur; adiciendo quòd sicut curatus de confessionibus et communione suorum parrochianorum tenetur reddere rationem; sic pari modo procurator aut curatus suo loco de celebrationibus conscriptis, et cessatis, atque supletis per beneficiatos, et eorum substitutos eodem, aut simili libro teneantur nobis, aut officialibus nostris in dominicâ, quâ cantatur *Ego sum Pastor bonus*, reddere rationem.

*Quòd fiant capbrevia in ecclesiâ.*

Quia per constitutiones bonae memoriae domini Sancii, quae incipit: *Quia rei evidentia*: et Eneci, quae incipit: *Cupientes animarum statui*, archiepiscoporum sanctae ecclesiae Terraconae salubriter et latè disponitur, quòd in qualibet ecclesiâ fiant capbrevia censualium, et reddituum earundem, et beneficiorum ibidem institutorum, quae in communi archivo ponantur &c. quae tamen constitutiones in hac nostra diocesi nullatenus, aut negligenter fuerint ad debitam executionem deductae; eo propter de praedictorum consilio mandamus illas ad debitam executionem deducendo omnibus et singulis, quos dictae constitutiones comprehendunt, quatenus infra annum à Dominica in Albis proximè instanti connumerandum, dicta capbrevia faciant, et in termino statuto ad libros confessionum exibendos illa sic facta capbrevia exibeant, ut in dictis archivis ulterius poni valeant, et recondi.

*Quomodo rectores et alii curati se debeant presentare episcopo.*

Quamvis per constitutionem recolendae memoriae domini Berengarii, praedecessoris nostri, incipientem: *Item*

*statuimus*, caveatur quòd rectores et coeteri presbyteri nostrae diocesis ex quacunque causâ ad civitatem Dertusensem venerint, coram episcopo, seu ejus vicario generali teneantur certis diebus sub certis poenis ibidem contentis se praesentare, prout in eadem latius continetur: verum nos dictam constitutionem benignius moderantes de praedictorum consilio solùm in rectoribus, et eorum vicariis eandem constitutionem decrevimus observari, sublato etiam quòd dicti rectores, et vicarii primâ presensentatione factâ ulterius de triduo in triduum se representare minimè teneantur.

*De hiis qui intervenerint in matrimoniis clandestinis.*

Attendentes, et considerantes quòd nos aliàs certis motivis inducti disposuerimus, et ordinaverimus quòd omnes intervenientes in matrimoniis clandestinis, et quae sine bannorum editione fierent, sententiâ excommunicationis innodentur; verum quia plures interessentes in sponsalibus, editionibus dictorum bannorum, legitimam ignorantiae causam habentes, in dictas poenas incidebant: ut animarum periculis obvietur, de consilio praedictorum praedictam poenam excommunicationis precisse quoad principales contrahentes, et illum seu illam qui eosdem desposáverint, manus aut juramenta recipiendo, seu verba inter eos de praesenti proferendo; statuimus et volumus locum habere. Absolutionem omnium illorum qui praedictas excommunicationis sententias incurrerint, nobis, seu successoribus nostris, ac nostri, aut ipsorum vicariis generalibus reservando. Aliis poenis in constitutionibus super hiis editis, in suo robore duraturis.

*Quòd annus inter beneficiatos simplices, sicut in curatis incipiat primâ die Madii.*

Quoniam matre experientiâ et relatione veridicâ informati didicimus, quòd ex incertitudine temporis inter beneficiatos simplices nostrae diocesis super dimissione fructuum multae oriuntur quaestiones: idcircò ad dictas quaestiones et controversias sedandas, de consilio praedictorum ordinamus quòd sicut in beneficiis curatis in dictâ diocesi quoad fructus et redditus computandos die primà Madii annus incipit; sic in aliis beneficiis non curatis per totam diocesim universaliter eadem die, scilicet primâ Madii, annus incipiat currere. Et inter praedecessores, et successores aequaliter servatâ prorratâ temporis omnes fructus, redditus, et proventus dictorum beneficiorum dividantur, ac onera solvantur, et supportentur, ut in omnibus beneficiis tam curatis, quàm simplicibus uniformiter aequalitas observetur.

*De lectis tenendis in abbatiis.*

Quaerellosis rectorum nostrae diocesis clamoribus ad nos pervenit, quòd cùm in constitutione domini Arnaldi praedecessoris nostri, quae incipit: *Item quia jure testante;* et ejus declaratoriâ quae incipit: *Quia constitutio nihil debet* &c. contineatur certus numerus lectorum tenendorum abbatiis suarum ecclesiarum, vix habitâ differentiâ de ecclesiarum valoribus, quod incongruum esse videtur, cùm juri consonum existat, ut onera sequantur formam, et sortem emolumentorum: idcircò dictam constitutionem moderantes, de consilio praedictorum prioris et capituli ordinamus, quòd habentes ecclesias in valore reddi-

tuum juxta arrendamenta earum, seu prout commodè et communi existimatione arrendari possent, usque ad XX. libras, habeant tenere saltem unum lectum. Et habentes à supra usque ad quinquaginta libras, duos. A supra verò usque ad octoginta libras, tres lectos. A supra quoque usque ad centum, quatuor electos. A supra centum verò libras habentes, quinque lectos tenere ibidem, et habere proprios teneantur juxta constitutiones praedictas. Quas in aliis volumus in suo robore permanere. Et insuper ainas, seu hostilia ad domus servitium et opus culinae condecentes, prout cuilibet abbatiae fuerit congruum, et opportunum, tenere successoribus suis, et dimittere teneantur.

## *Synodus D. Guillermi de Torelles, episcopi Dertus. (a).*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Constitutiones editae per reverend. in Xto. patrem, et dominum Guillermum, episcopum Dertusensem, quarto die Madii in synodo per ipsum celebratâ anno Domini M.CCC.LXXVIII.*

### *De horis dicendis.*

Cùm ex constitutionibus synodalibus dominorum Petri, et Berengarii bonae memoriae praedecessorum nostrorum, omnes rectores, vicarii, et clerici habentes beneficia curata, vel simplicia in civitate, aut diocesi Dertusensi, et alii in sacris ordinibus constituti, in civitate praedictâ,

(a) Qui post Barchinonenses infulas Dertusensis episcopus renuntiatus est anno 1369, eoque munere usque ad mortem functus est, quae decennio post contigit.

vel diocesi residentes, teneantur dicere, seu recitare divinum officium, horas videlicet canonicas diurnas, et nocturnas, et alia divina officia celebrare juxta modum, ritum, et consuetudinem ecclesiae Dertusensis, ac presbyteri cappellanias perpetuas, vel annuales in ecclesiis dictae civitatis vel diocesis obtinentes, teneantur cum superpelliciis interesse missis et omnibus horis diurnis pariterque nocturnis, quas in ecclesiis in quibus dictas cappellanias habent, vel habuerint in futurum contingerit celebrari; et in paucis ecclesiis curatis, seu parrochialibus jam dictae nostrae diocesis dicuntur altâ voce matutinae, missae, et vesperae: idcircò praedictas constitutiones dictorum nostrorum praedecessorum approbantes, cum consilio et assensu venerabilium Michaellis Zirera, prioris majoris, et capituli nostri, ordinamus, et in virtute sanctae obedientiae praecipiendo mandamus, quatenus perpetuò in omnibus ecclesiis civitatis, vel diocesis Dertusensis pulsetur ad omnes horas canonicas. Et saltim ubi fuerint quatuor, aut plures beneficiati perpetui, aut habentes cappellanias annuales, habeant dicere, et cantare altâ voce matutinas, missam, et vesperas. Et qui dictis matutinis, missae, vesperis qualibet die non interfuerit, ultra poenas in constitutione synodali appositas, careant illâ die distributionibus quotidianis, quae contigerit, eadem die, vel aliâ, distribuendis, qui interfuerint horis et officiis supradictis.

*Quòd rectores de bonis per ecclesiam adquisitis non possint ordinare cappellanias, vel anniversaria extra diocesim Dertusae.*

Quia nonnulli rectores nostrae civitatis, et diocesis Dertusensis in suis testamentis, vel ultimis voluntatibus de bonis mobilibus, seu se moventibus per ecclesiam ad-

quisitis, etiam de immobilibus per dictos rectores de bonis mobilibus per ecclesiam adquisitis legarunt, dederunt, aut alias distribuerunt extra suas ecclesias et sedem, vel diocesim Dertusae, ordinando cappellanias, anniversaria, vel alias pias causas contra dispositionem et mentem constitutionum synodalium ecclesiae Dertusensis, concedentium rectoribus dictae civitatis et diocesis testari de praedictis bonis, legando ecclesiae Dertusensi, vel propriae, vel ad cappellanias, vel anniversaria infra diocesim Dertusensem, vel pro aliis piis locis, vel amore Dei, aut quibuscunque locis et personis capacibus; idcircò dictas constitutiones in notitiam deducere cupientes, cum consilio et assensu venerabilium prioris, et capituli nostri, constituimus et ordinamus quòd si aliquis dictorum rectorum ordinaverit in testamento, aut ultimâ voluntate, sive aliàs cappellaniam, vel anniversaria extra ecclesiam, vel diocesim Dertusensem de bonis mobilibus, seu se moventibus ab eis per ecclesiam adquisitis, aut de bonis immobilibus emptis per eos de bonis mobilibus ab eisdem per ecclesiam adquisitis, hujusmodi ordinatio sit eo ipso nulla. Quodque praedicta bona mobilia, seu se moventia, aut bona immobilia praedicta vel censualia jura, sive redditus quicumque empta, et empti de bonis supradictis assignata, sive assignati per ipsos rectores cappellaniis, vel anniversariis celebrandis, et fiendis extra praedictam Dertusensem diocesim, vel ecclesiam propriam possint venditari, exigi, et haberi per nos, vel successores nostros; convertendos, per nos, vel successores nostros in cappellanias, vel anniversaria in propriâ ecclesiâ, vel in civitate, vel diocesi Dertusensi. Descernentes eo casu quòd semper praedicta censualia, jura, redditus praesumantur, reputentur, et habeantur esse empta, et emptos, seu habita, et habitos de dictis bonis, ut prefertur, per illius ecclesiam adquisitis.

*Quòd nullus audeat tangere in lectis albatiae.*

Item licet in constitutione synodali bonae memoriae domini Arnaldi, praedeccessoris nostri, caveatur quòd rectores, et vicarii perpetui habeant tenere in abbatiis, sive hospitiis, seu domibus eorum quatuor, vel quinque lectos pannis paratos, prout in dictâ constitutione continetur; tamen frequenter contingit, quòd cùm dicti rectores moriuntur, vel infirmi existunt, manumissores, vel haeredes eorum, aut consanguinei, sive alii surripiunt, et occupant res, et bona, quae sunt in dictis abbatiis, hospitiis, sive domibus, et inde abstrahunt, et secum asportant, unde dictae abbatiae, seu domus, et hospitia remaneant sine lectis sufficienter pannis paratis, et eorum successores gravantur, et onerantur; idcircò cupientes providere ne talia de caetero committantur, cum consilio, et assensu dictorum venerabilium prioris, et capituli nostri, statuimus et ordinamus, quòd si quis praedictas res, et bona, quae sunt, vel fuerint in dictis abbatiis, sive hospitiis, vel domibus praedictorum rectorum, et vicariorum, vel aliquid de dictis bonis, et rebus acceperit, seu occupaverit, et de praedictis abbatiis, hospitiis, seu domibus abstraxerit, et secum asportaverit, sive praedicta fieri mandaverit sine licentiâ nostrâ, vel successorum nostrorum, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat.

*Quòd celebretur synodus primâ dominicâ post festum Paschae.*

Cùm ea quae de novo emergunt, videantur novo auxilio indigere, et in civitate Dertusensi à duobus annis citra fuerint ordinatae feriae, sive nundinae quae incipiunt

dominicâ in Albis, et durant per XV. dies, infra quos interveniat dominica, quâ cantatur *Ego sum Pastor bonus*; ad quas quidem nundinas veniant plures gentes, maximè die dominicâ, in qua consuevit celebrari sancta synodus in ecclesiâ Dertusensi; et propter hoc rectores, et alii qui ad dictam synodum venire tenentur, non possunt in dicta civitate commodè hospitari: idcircò nos cum consensu venerabilium prioris et capituli nostri, ac dictâ synodo approbante statuimus et ordinamus, quòd de coetero durantibus dictis nundinis dicta sancta synodus celebretur dominicâ in Albis in nostrâ ecclesiâ Dertusensi. Ad quam omnes qui tenentur de jure, vel consuetudine, venire teneantur sub poenis in aliis constitutionibus synodalibus expressatis. Quas constitutiones in aliis volumus in suo robore permanere.

*Institutio festivitatis beati Bernardi.*

Item dictus reverendus dominus episcopus mandavit in dictâ sanctâ synodo publicari constitutionem provintialem super celebratione officii IX. lectionum in festo sancti Bernardi, et illam mandavit inter alias constitutiones synodales diocesis Dertusensis inseri, et apponi; cujus siquidem constitutionis tenor sequitur per haec verba.

*Constitutio.*

Guillermus, Dei, et apostolicae sedis gratiâ episcopus Dertusensis, ac comisarius ad celebrandum hac vice sacrum provintiale concilium Terraconae, quod in praesenti celebratur in civitate Barchinonensi, à sede apostolicâ spetialiter deputatus, reverendis in Xpto. patribus dominis episcopis, et venerabilibus religiosis viris abbatibus. prio-

ribus, et prepositis, ac nobis in Xpto. dilectis universis, et singulis rectoribus et vicariis perpetuis infra Terraconensem provintiam constitutis, vel eorum loca tenentibus praesentibus et qui pro tempore fuerint, ad quos praesentes pervenerint, salutem in Domino nostro Jesu Xpto.; et mandatis nostris, immò verius apostolicis, firmiter obedire. Cùm in dicto sacro provintiali concilio per venerabilem, et religiosum virum fratrem Petrum Dei gratiâ abbatem monasterii Sanctae Mariae de Benifesano, ordinis cisterciensis, Dertusae diocesis, fuerit ipsi sacro concilio humiliter supplicatum, quòd cum beatus Bernardus ordinis ejusdem, doctor egregius, Deo devotissimus, sit in divinis officiis, et obsequiis quasi incognitus in aliquibus ecclesiis hujus provintiae Terraconae; cujus nomen et vita et floribus floret ubique ecclesia sancta Dei, et universus mundus illuminatur ejus religione, meritis et doctrinâ; dignaretur sacrum concilium ad laudem, et gloriam Dei, et beatae virginis Mariae, et in commemorationem ejusdem beati Bernardi statuere, seu ordinare festum, seu officium IX. lectionum annis singulis die ipsius festivitatis de coetero in ecclesiâ Dei per totam Terraconensem provintiam celebrandum. Nos verò in dicto concilio praesidentes, volentes et affectibus cupientes inter alios egregios ecclesiae doctores beatum Bernardum eximium doctorem, et confessorem attollere, vocibus et laudibus personare, et spiritualibus honoribus venerari, cujus quippè doctoris perlucida et salubria documenta ecclesiam illustrarunt: pro tanto ad gloriam et honorem Dei et beatae virginis Mariae, cujus devotissimus ipse doctor extitit, ejusque laudem et honorem, de consilio, et assensu dicti sacri concilii constituimus et ordinamus, quòd annis singulis et perpetuis temporibus in omnibus ecclesiis cathedralibus, collegiatis, et conventualibus, ac monasteriis et

aliis ecclesiis provintiae Terraconae, tam exemptis, quàm non exemptis, in die festivitatis ipsius sancti Bernardi doctoris IX. lectionum officium solempnizetur, et celebretur. Vos in Domino exortantes, ac vobis mandantes, et cuique vestrum auctoritate praedictâ, quatenus dictum officium IX. lectionum quilibet in ecclesiis vestris de coetero celebretis, et celebrari annis singulis et perpetuis ipsâ die faciatis, retributionem ab illo sperantes, qui est omnium retributor. Et in praemissorum testimonium praesentes fieri, et nostri appensione sygilli jussimus communiri. Datis Barchinonae XVIII. die Decembris, anno à nativitate Domini MCCCLXXVII. *Vidit episcopus Dertusensis Guillermus.* =

*Rubrica de officio beatae Mariae.*

Item dominus episcopus ordinavit, et statuit, quòd illis temporibus in quibus in diebus sabbatinis fit officium beatae Mariae, quòd etiam in diebus sabbatinis in quibus fuerit festum IX. lectionum simplex fiat officium in die lunae sequenti, nisi similiter in dicta die lunae fuerit festum IX. lectionum; quia tunc fiat officium in die martis sequenti, nisi similiter in die martis interfuerit aliud festum IX. lectionum; quo casu fiat aliâ die proximè venienti, quo non fuerit festum IX. lectionum.

*Synodus D. Hugonis de Lupia et Bages, episcopi Dertusens.* (*a*).

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Constitutiones editae per reverendum in Xpto. patrem, et dominum dominum Hugonem, episcopum Dertusensem, XV. die Aprillis anno Domini millessimo tricentessimo octuagessimo octavo, in synodo per ipsum Dertusae celebratâ.*

*De honestate vestium clericorum.*

Quia clerici in sacris constituti, praecipuè rectores, seu curati defferre debeant desuper indumenta rotunda et clausa nimiâ brevitate, vel longitudine non notandâ, etiam non botonata ante de pectore usque ad pedes; et aliqui praedictorum in praemissis excedant: idcircò nos Hugo miseratione divinâ Dertusensis episcopus, sacram synodum in nostrâ diocesi et in Dertusensi ecclesiâ celebrantes, cum consilio venerabilium prioris, et capituli dictae nostrae ecclesiae Dertusensis, dictum excessum corrigere cupientes, ordinamus quòd praefati clerici in sacris constituti, rectores et vicarii utantur vestibus non nimis scotatis, longis, vel brevibus cum debito colore, et debitâ formâ, ac congruenti, et non botonatis. Ita quòd botones non portent in dictis indumentis superioribus, sive sit gramasia, aut supertunicale, vel tabargium, vel aliud indumentum superius quocunque nomine nuncupentur. Verumtamen si in manicis supertunicalium, vel tunicarum, quas tamen manicas non portent magnas, et amplas ad

(*a*) Rexit hanc ecclesiam Luna, Valentinam sedem occu- ab anno 1387 ad 1398 quo à pavit; ubi tandem moritur an- Bened. XIII. Petro scilicet de no 1427.

modum aliube: nec in illis portent gorgeriam nimis altam et eminentem voluerint portare botones, nisi sex non portent. Addicientes insuper quòd non utantur sotularibus nimis apertis, et scotatis, et sine punctis, seu restris, sed tantum apertis ut pes possit intrare. Mandantes observare constitutiones canonicas provintiales et synodales nostrorum praedecessorum super praedictis editas. Et qui contra praedicta fecerit, pro qualibet vice, quâ fecerit, poenam quinque solidorum incurrat ipso facto, operi nostrae sedis applicandorum. Intentionis nostrae tamen est quòd haec praesens nostra constitutio incipiat valere, et tenere tantum statim post festum proximè Ascensionis Domini.

*Quòd rectores utantur propriis libris: et corpus Xpti. honorificè teneant: et infra certum tempus constitutiones tam provintiales, quàm synodales teneant.*

Item cùm nos episcopus praedictus in visitatione, quam pridie fecimus, in nostrâ diocesi Dertusensi invenerimus quae secuntur, scilicet, in aliquibus ecclesiis dictae diocesis esse libros alterius diocesis, et consuetudinis ejusdem: et licet jam fuerit inhibitum rectoribus earundem per nostros praedecessores, quòd dictos libros non tenerent, nec eis uterentur in dictis officiis, et quoscunque alios haberent, qui essent ad usum, et consuetam ecclesiae nostrae Dertusensis, et non fecerunt: item et in aliquibus ecclesiis nostrae diocesis corpus Xpti. ad comunicandum non teneatur ut decet: nec non etiam multi rectores praedictae nostrae diocesis non tenent in suis abbaciis vel ecclesiis constitutiones provintiales et synodales, et sic eas nesciunt, et per consequens observent. Quare cum consilio et assensu dictorum venerabilium prioris, et capituli pro-

videmus, et ordinamus, quòd rectores dictarum ecclesiarum habeant, vel providere faciant per illos qui ad hoc tènentur, quòd hinc ad festum Resurrectionis Domini proximè instans habeant libros dictae ecclesiae pro fiendo officio, cum eisdem et secundum consuetudinem, vel consuetam ipsius nostrae ecclesiae, et expellant alios dictae alterius diocesis, et illis ex tunc non utantur: alioquin incurrant poenam decem librarum; et etiam de bonis suis faciemus fieri libros alios secundum usum et consuetam dictae nostrae ecclesiae Dertusensis. Item quòd usque ad proximum instans festum Sancti Michaelis faciant, vel procurent fieri quòd corpus Xpti. in loco decenti servetur, et teneatur reverenter, et hoc sub poena XL. solidorum. Item etiam cùm multi rectores, ut praemittitur, non teneant, nec servent constitutiones provintiales, et synodales dictae ecclesiae Dertusensis contra constitutionem synodalem jam super hoc factam per predecessorem nostrum; ideò stabilimus quòd quilibet dictorum rectorum qui illas non habeant, eas habeant, et teneant hinc ad festum Nativitatis Domini proximè venturum, alias poenam XXX. solidorum ipso facto incurrant, operi dictae sedis applicandorum. Preterea de consilio dicti nostri capituli laudamus, et approbamus, et confirmamus constitutionem per dominum Jacobum predecessorem nostrum editam, ut rectores nostrae diocesis possint condere testamenta, relictis nobis, et successoribus nostris XIII. solidis de eorum bonis tempore mortis suae, quae quidem constitutio incipit: *Item licet in signum universalis dominii dominus Petrus, et dominus Franciscus bonae memoriae &c.* quascunque constitutiones in contrarium factas annullantes, et poenitus revocantes.

*Confirmatio per dominum Hugonem facta constitutionum, et rerum infra contentarum.*

Revevendus in Xpto. pater et dominus Hugo, divinâ miseratione Dertusensis episcopus, in suâ Dertusensi ecclesiâ sanctam synodum celebravit, praesente venerabili priore et capitulo ecclesiae ante dictae, nec non praesentibus rectoribus civitatis et diocesis Dertusensis, vel eorum loca tenentibus, et ibidem legi fecit, et publicari quasdam constitutiones, et ordinationes editas per reverendum patrem dominum cardinalem dominum Petrum de Luna legatum, pro ut ipse mandavit. Quae fuerunt lectae, et publicatae, seu pro lectis et publicatis habitae. Mandans ipse dominus episcopus praedictis rectoribus quatenus ipsas constitutiones habeant et observent. Praeterea fecit legi, et publicari constitutiones provintiales antiquas, quae fuerunt pro lectis, et publicatis habitae. Et spetialiter fecit legi et publicari constitutiones editas in concilio provintiali ultimo celebrato Terraconae, quae etiam fuerunt habitae pro lectis et publicatis, mandans ipse dominus episcopus dictis rectoribus, ut dictas constitutiones habeant, et observent. Item fecit legi et publicari constitutiones synodales quae fuerunt habitae pro lectis et publicatis, mandans &c. Ulterius legi et publicari fecit constitutiones et ordinationes infra scriptas, per ipsum dominum episcopum editas. Item dictus dominus episcopus de consensu venerabilium prioris et capituli ordinavit, quòd de festo Beati Anthonii confessoris, et Conversione Sancti Pauli et Commemoratione ipsius, et etiam in festo Sanctae Teclae ac in festo Conceptionis Beatae Mariae fiant duo cantores in quolibet festo praedictorum in ecclesiâ Dertusensi. Mandavit ideò quatenus

idem observetur, et fiat per omnes ecclesias tam civitatis, quàm diocesis Dertusensis. Et rectores omnes habeant de praesenti ordinatione copiam, seu translatum et ipsam observent, aliàs ipsos graviter puniemus. Item cùm infra octavas communes, sive non solempnes infra annum occurrentes, dies dominica saepe soleat evenire, in qua secundum consuetam, et ordinationem dictae nostrae ecclesiae Dertusensis debeat fieri officium, sicut in die ipsius festi cum lectionibus propriis, et festum novem lectionum in dictâ dominicâ eveniens hoc impediebat: ideò nos praedictus episcopus statuimus quòd ammodo in dictâ nostrâ ecclesiâ Dertusensi, et in aliis civitatis et diocesis Dertusensis de coetero in dictâ dominicâ fiat officium proprium dominicae infra octavas. Et officium festi novem lectionum mutetur in feriâ secundâ sequenti, vel die aliâ non festivâ.

*Quòd feriâ V., VI., et Sabbato Sancto dicatur oratio ad horas.*

Et insuper cùm feriâ V., VI. et Sabbato septimanae sanctae ante pascha horae diurnae, et nocturnae fiant tantum cum *Pater noster* et Psalmo *Miserere mei Deus*, et sine aliquâ oratione; in aliisque ecclesiis multis provintiae Terraconae cum oratione praedictae horae in dictis diebus decentius firmantur: ideò nos praedictus episcopus cum consilio, et assensu dicti venerabilis capituli nostri ordinamus, quòd ammodo omnes praedictae horae finiantur post psalmum *Miserere, mei Deus* cum oratione scilicet *Respice Domine Deus super hanc familiam tuam.* Et sic fieri iubemus tam in nostrâ ecclesiâ Dertusensi, quàm in aliis ecclesiis civitatis et diocesis Dertusensis.

*Synodus habita sub episcopo Dertusensi D. Joanne Fabra (a).*

EX ARCH. ECCL. DERTUS.

*Anno Domini M.CCC.LIX. dominus Joannes episcopus Dertusensis celebravit primam synodum, in qua edidit constitutiones sequentes.*

*Quòd clandestina matrimonia non fiant, et quòd banna edantur in ecclesiâ.*

Quoniam matrimonia clandestina ideò à jure reprobantur, quia cum alter eorum conjugalem effectum se ad alteram habuisse negare voluerit, legitimis probationibus convinci non poterit, multique remaneant copulati contra canonum statuta, et in nostra dioc. saepe frequententur, ut reperimus visitationis officium exercentes; ideò nos Joannes, miseratione divinâ episcopus Dertusensis, cupientes huic morbo salubre remedium adhibere, de consilio, et assensu nostri capituli constituimus et ordinamus quòd ante quàm matrimonia, sive sponsalia per verba de praesenti contrahantur, fiant banna publicè in ecclesiâ loci sive parrochiae, ubi degent qui hujusmodi sponsalia, sive matrimonia contrahere voluerint. Si verò unus in uno loco, sive parrochiâ, et alter in alio loco, sive parrochiâ habitaverit, in utraque ecclesiâ dictorum locorum, seu dictarum parrochiarum dicta banna publicè fiant per duos dies dominicos, vel festivos, et etiam illâ die, quâ in ecclesiis ipsa matrimonia solemnizabuntur. Aliàs rectores, vel vicarii

(a) Huic sedi presul datus est ab Innocentio VI. anno 1357, quam tenuit usque ad 1362 quo Carcassonensis episcopus renuntiatus est.

perpetui, aut eorum loca tenentes talia matrimonia in ecclesiis non solemnizent, seu hiis, qui sic clandestina contraxerint, benedictionem nuptialem non audeant celebrare sub poena centum solidorum, quam ipso facto incurrant si contrarium fecerint; nisi de licentiâ nostrâ, vel officialium nostrorum aliter se habuerint in praemissis. Verùm si contrahere volentes in diversis locis sive diversis parrochiis deguerint, ut praefertur, rectores vel vicarii perpetui aut ipsorum loca tenentes habeant sibi invicem banna per eos edita notificare; aliter in poenam incidant supradictam. Coeterùm si aliqui, vel aliquae, qui fuerint de aliâ diocesi, in nostrâ diocesi sponsalia per verba de praesenti seu matrimonia contrahere voluerint, dicta banna fiant secundum modum praedictum in ecclesiâ loci, seu parrochiae de quo, vel de qua fuerit ille, aut illa nostrae diocesis, cum quo, seu qua contrahere voluerint. Etsi tam ipse, quàm ipsâ de alienâ diocesi fuerint, ipsa banna edantur, ut praefertur, in ecclesiâ loci, vel parrochiae ubi habitare intendunt. Quòdque si in dictâ diocesi nostrâ habitare non intendunt, nec ad banna, nec ad benedictionem nuptialem admittantur sub poenâ praedictâ. In nullo casu tamen praedictorum proximè dicta banna faciantur, nec praefati curati matrimonia illorum solemnizent in ecclesiis suis, nisi habuerint ipsi extranei litteram testimonialem à curatis suis quòd legitimè contrahere possunt. Quòd si aliter fecerint, poenam praedictam incurrant etiam ipso facto.

*Quòd haeredes, vel executores testamentorum infra unum annum compleant, et exequantur testamenta.*

Item cùm nos episcopus praedictus dictum visitationis officium exercentes invenerimus, quòd defunctorum hae-

redes, et eorum executores negligenter et maliciosè se habent ad exequendum voluntates ipsorum defunctorum, cupientesque periculosae negligentiae perversaeque malitiae haeredum defunctorum, et eorundem ultimarum voluntatum executorum occurrere, utpotè voluntates potissimae piè defunctorum effectum debitum sortiantur: idcircò de consensu dicti capituli ordinamus, quòd omnes rectores aut vicarii perpetui, vel eorum loca tenentes moneant publicè in suis ecclesiis omnes manumissores sive executores testamentorum, et etiam haeredes defunctorum quater quolibet anno, in festo videlicet Penthecostes, Assumptionis Beatae Mariae, Omnium Sanctorum, et Purificationis Beatae Mariae, ut infra unum annum ab obitu illorum quorum sunt haeredes, vel manumissores computandum, exequantur, et compleant testamenta, et voluntates ipsorum defunctorum. Alioquin rectores, aut vicarii perpetui, vel eorum loca tenentes, qui in praemissis culpabiles, vel negligentes fuerint, pro qualibet denunciatione quam facere contempserint, poenam X. solidorum ipso facto incurrant.

*Contra usurarios, et quòd publicetur quater in anno.*

Praeterea cùm in constitutione domini Gregorii papae X. in concilio Lucdunensi editâ caveatur, quòd nullus manifestorum usurariorum testimoniis intersit, aut eos ad confessionem admittant, sive ipsos absolvant, nisi de usuris satisfecerint competenter, vel de satisfaciendo pro ipsarum viribus facultatum prestiterint idoneam cautionem: testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso jure: et in constitutione domini Clementis papae V. habeatur, quòd sepelientes propriâ temeritate audatiâ usurarios manifestos, sunt ipso

facto excommunicati: invenerimusque in dictâ visitatione quòd in omnibus fere locis nostrae diocesis ita crimen usurarum invaluit, ut multi aliis negotiis praetermissis quasi usuras licitè exerceant; ideò usurarum voraginem, quae animas devorat, et facultates exaurit, in quantum nobis possibile est, compescere cupientes, de consensu, et voluntate prefati capituli constituimus et ordinamus dictas constitutiones inviolabiliter observari, ipsasque publicari, et notificari publicè quando major populi multitudo venerit ad divina per rectores, vel vicarios perpetuos, aut eorum loca tenentes in ecclesiis suis quater in anno quolibet, in festis, scilicet, supradictis in proximè praecedenti constitutione nominatis. Alioquin poenam X. solidorum pro qualibet publicatione, quam omiserint, volumus ipsos incurrere ipso facto. Statuentes insuper et mandantes sub poenâ praedictâ, quòd praelibati rectores, aut vicarii, aut eorum loca tenentes in praedictis festivitatibus moneant publicè in suis ecclesiis, et nos etiam per presentem constitutionem monemus omnes parrochianos suos, quòd nullus audeat pravitatem usurariam exercere. Et si qui contrarium fecerit, praeter alias poenas in jure expressatas, noverit se sententiam excommunicationis incursurum.

*Contra fratres minores et predicatores.*

Item cùm in editâ decretali à domino Bonifacio VIII. cautum existat, quòd fratres predicatores, et minores electi, et praesentati praelatis in civitatibus, et diocesibus eorundem, confessiones confiteri sibi volentium audiant, imponant poenitentias salutares, ac beneficium absolutionis impendant: et nonnulli dictorum fratrum ut comperimus, non servatâ dictâ decretali octavi Bonifacii, de facto audierunt, et audiunt in nostrâ diocesi confessiones

confiteri sibi volentium, et imposuerunt, et imponunt poenitentias, et impenderunt, et impendunt beneficium absolutionis: eò propter volentes ut dicta decretalis observetur, ut saluti animarum nostrorum subditorum provideatur, de consilio et assensu praefati capituli statuimus quòd nullus rector, vel curam animarum habens in civitate et diocesi nostris, in ecclesiâ suâ audeat aliquem de praedictis fratribus ad confessiones hujusmodi audiendas recipere, nisi per nos, vel vicarium nostrum sibi notificatum fuerit, aut alias fuerit sibi notum, quòd dictus frater secundum formam ipsius decretalis fuerit electus, vel praesentatus nobis, vel in absentiâ nostrâ vicario nostro, ac per nos, vel vicarium nostrum admissus ad hujusmodi confessionis officium exequendum. Quicunque autem contrarium fecerit, poenae quinque aureorum ipso facto se noverit subjacere. Alios verò religiosos nemo admittat ad confessiones audiendum, nisi prout in juribus, vel constitutionibus provintialibus, aut synodalibus est consuetum. Porrò ad praedicandum nullum religiosum admittant in suâ ecclesiâ absque nostrâ, vel officialium nostrorum licentiâ spetiali; exceptis praefatis fratribus predicatoribus, et minoribus, quos admittere possunt secundum formam expressatam in dictâ decretali.

*Quòd presbyteri nec in sacris constituti faciant comatres.*

Item cùm in jam dictâ visitatione repertum fuerit, quòd quidam presbyteri comatres sibi fecerunt, et ex hoc in tantam cum eis commixtionem habuerunt; ne ergo hac occasione humani generis inimicus suâ eos, quod absit, calliditate decipiat, de voluntate, et consensu praedicti capituli ordinamus, ne aliquis presbyter, vel in sacris constitutus audeat sibi comatrem vel comatres facere

absque nostrâ licentiâ, vel officialium nostrorum. Quicunque autem contrarium fecerit, in poenam XX. solidorum incidat ipso facto.

*Quòd clerici arma non portent, et quòd honestas vestes defferant.*

Cùm inhonestum sit clerico, maximè in sacris ordinibus constituto, arma, et indumenta incongrua portare: ideò nos ad extirpandum clericorum inhonestatem, de consensu saepè dicti capituli, statuimus quòd nullus presbyter, vel alius in sacris ordinibus constitutus portet gladium, vel ensem, seu maneresium in parte dextrâ, sive sinistrâ, taliter quòd publicè videri possit, nec cingat se supra supertunicalem, vel cotardiam. Quòd si contrarium fecerit, poenae XX. solidorum subjaceat ipso facto. Per hoc tamen non intendimus eos aliter licentiare arma portare, statuentes, et monentes ipsos quòd tabargia, sive mantanos, et alia indumenta honesta habeant, et portent, ut in constitutionibus romanorum pontificum, et in provintialibus, ac synodalibus continetur, quas omninò praecipimus observari. Nam si de coetero inhonestè se habuerint in praemissis, sive remissâ, ultioni noverint se subdendos.

*Quòd sarraceni non proclament nomen perfidi Mahometi.*

Ad detestandum detestabilem, et nefandam professionem, et proclamationem nominis perfidi Mahometi, constitutionem super hoc editam per reverendissimum in Xpto. patrem, et dominum Joannem divinâ providentiâ patriarcham Alexandrinum, et administratorem in spiritualibus, et temporalibus ecclesiae Terraconae editam, quae

incipit: *Quamvis circa multa &c.* et usque nunc minimè observatam, de consilio, et assensu nostri capituli Dertusensis praecipimus observari. Mandantes cappelianis curatis nostrae ecclesiae Dertusensis, in quorum parrochiis, vel terminis eorum degunt sarraceni, quatinus in praecipuis festivitatibus altarium ecclesiarum suarum dictam constitutionem annuatim populo publicent, et exponant. Et si quis dominorum temporalium sarracenorum dominium obtinentium, infra ipsorum parrochiam constitutus dictam proclamationem fieri non prohibuerit, ut in dicta constitutione continetur, aut non prohibuerit dictos sarracenos simul cum christianis degentibus in diebus dominicis, et festivis serviiia, seu mecanica opera coram christianis publicè operari, ut in eadem constitutióne expressatur, nobis aut vicario nostro, vel officiali infra octo dies notificare teneantur: incursuri ipso facto, nisi fecerint, poenam centum solidorum, nostro aerario applicandorum.

*Quòd sarraceni et judaei solvant decimas, et primitias.*

Licet in canonibus caveatur quòd judaei, et sarraceni de terris, quas colunt, et de animalibus suis decimas, et primitias sólvere teneantur, attamen non attendentes ad Deum à quo cuncta bona procedunt, cujus est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in ea, ac in signum universalis dominii quasi quodam titulo spetiali sibi decimas reservaverit, atque ab eo, et non ab homine sunt decimae institutae: et ipsas tamen decimas et primitias perversis machinationibus subtrahere moliuntur; nos igitur volentes ea, quae videmus fieri contra libertatem ecclesiae et jura ejusdem, occulis conniventibus pertransire, de consilio et assensu praedicti nostri capi-

tuli statuimus, et ordinamus quòd si aliquis sarracenorum contradixerit seu recusaverit solvere decimam, et primitiam de praedictis, quòd nisi ostenderit quare à solutione hujusmodi sit immunis; ad mandatum nostrum, vel officialis nostri, layci illius parrochiae, in qua dictus sarracenus habitaverit, seu domiciliatus fuerit, et in qua terra et animalia de quibus solvendae sunt decimae et primitiae sita fuerit, et ipsa animalia pascentur, moneantur quòd infra tres dies quos ei, et cuilibet ipsorum pro canonica admonitione assignamus, abstineant participare cum dicto sarraceno vel judaeo, et ex tunc donec satisfecerint competenter, non participent cum eodem, in loquendo, salutando, comedendo, et bibendo, emendo et vendendo, aut aliter participando. Et si desistere noluerit, seu contrarium fecerit, excommunicationi eo ipso se noverit subjacere.

*Quòd sacristae ecclesiarum, sive operarii reddant computum infra mensem.*

Cupientes eos, quos ad observantiam jurium virtutum praemia non inducunt, poenarum formidine à temerariis ausibus refrenare, transgressores constitutionis, quae statuit operarios et sacristas annuatim infra unum mensem de receptis et expensis per eosdem occasione sui officii successoribus suis in praesentiâ suorum rectorum, seu vicariorum, et juratorum loci fidelem rationem et computum reddere, et reliqua quae superfuerint, suis successoribus tradere, et assignare; de consensu dicti nostri capituli excommunicationis sententiae decernimus ipso facto subjacere. Mandantes omnibus rectoribus, vicariis perpetuis, et prioribus, vel eorum loca tenentibus nostrae diocesis Dertusensis, quòd in festo Omnium Sanctorum pro-

ximè venturo semel, et in primâ die dominicâ continuò sequente post electionem seu positionem, sive provisionem dictorum operariorum et sacristarum quolibet anno seu quando ipsi operarii, et sacristae electi, positi, sive facti fuerint, hanc constitutionem nostram populo publicent et exponant: quod si non fecerint, juxta voluntatem, et arbitrum nostrum punientur.

*Quòd constitutio domini Arnaldi, quae incipit: Item quia jure &c. extendatur ad praesentes et futuros.*

Quia constitutio nihil debet obscurum, vel ambiguum continere, et in dubium vertatur, an constitutio domini Arnaldi ultimi bonae memoriae Dertusensis episcopi, quae incipit: *Item quia jure testante &c.* astringat tantum rectores et vicarios ac priores, qui tempore editionis constitutionis fuerint, an et qui postea fuerunt, et erunt; dubitationem hujusmodi tollentes, de consensu dicti capituli, ordinamus praedictam constitutionem comprehendere, et ligare omnes et singulos rectores et vicarios perpetuos ac priores, qui tunc erant, et qui ex tunc fuerunt, et de coetero erunt.

*Contra beneffiçiatos, et alios presbyteros, qui non intersunt divinis officiis.*

Gravi nimirum turbatione movemur quòd quamvis de jure communi, et secundum constitutiones praedecessorum nostrorum super hoc editas, presbyteri beneffiçiati, seu cappellanias perpetuas, vel etiam annuales in ecclesiis civitatis vel diocesis Dertusae obtinentes, teneantur interesse continuè missis omnibus, horis canonicis diurnis pariter et nocturnis; nonnulli presbyteri beneffiçiati, seu dictas

cappellanias habentes in dictis ecclesiis nolunt, ut fide dignorum relatione didicimus, interesse missis, et aliis horis cum rectoribus, vel vicariis, aut prioribus, qui eas celebrent in eisdem. Volentes ergo, ut, quos divinus timor à malo non revocat, temporalis saltim poena coherceat à peccato: vestigiis praedecessorum nostrorum adherentes, ordinamus de consensu dicti capituli, quòd si praedicti presbyteri beneffìciati, seu cappallenias perpetuas, aut annuales obtinentes in ecclesiis civitatis et diocesis Dertusae, vel qui eas obtinuerint in futurum non interfuerint cum superpelliciis, et sine caputiis in capite in missis et aliis horis canonicis praedictis in ecclesiis, in quibus sunt beneffiniati, sive dictas cappellanias habent, si inibi dictis horis divina officia celebrentur, aut in ecclesiis parrochialibus infra quas sunt decem beneffìcia et cappellaniae institutae, poenis subsequentibus multentur: videlicet, qui missam non celebraverit, solvat quatuor denarios. Si missae majori non interfuerit, duos denarios solvat. Qui vesperis non interfuerit, alios duos. Qui denarii possint levari in nostrâ ecclesiâ Dertusensi per priorem claustralem nostrae ecclesiae, ac per eum compelli possint dicti presbyteri ad solvendum dictos denarios. In aliis verò ecclesiis per earum rectores, et vicarios perpetuos, vel eorum loca tenentes idem fiat. Et quidem denarii per dictos et quemlibet eorum largiantur pauperibus Jesu Xpti. Et si dicti rectores, et prior ac vicarii perpetui, vel eorum loca tenentes in levandis dictis denariis negligentes fuerint, in duplum, et alias ad nostrum arbitrium puniantur. In hac tamen constitutione non intelligantur ipsius nostrae Dertusensis ecclesiae presbyteri comensales, et alii presbyteri, nec beneffìciati in eadem, de quibus est provisum per constitutionem dictae nostrae ecclesiae Dertusensis, quae incipit: *Scriptum esse novimus.*

*Quòd nullus in sacris ordinibus constitutus, filium suum haeredem faciat, nec legatum dimittat.*

Licet multae super clericorum continentiam patrum sententiae hactenus emanaverint; quia tamen nec adhuc ipsorum potuit morum correctio reformari, nos Jacobus, divinâ miseratione episcopus Dertusensis, cupientes quantum cum Deo nobis est possibile, à clero nostrae diocesis vitium hujusmodi radicitùs extirpare, assistente nobis nostro venerabili capitulo, sanctam synodum celebrantes, considerantes quòd parentes talium pro poenis sibi illatis hactenus nec fuerunt territi, nec in melius immutati, ut saltem pro hiis, quae eorum inferuntur filiis, terreantur, cum plus in filiis, quàm in se parentes timere soleant, juxta legitimas sanctiones; isteque sit unus de casibus, in quibus de jure protrahitur ultio, nedum in actores scelerum, sed etiam in progenie dampnatorum; cum consilio dicti nostri capituli statuimus, quatenus nullus in sacris constitutus ordinibus prolem quam suam asserit, vel de agnatis quivis ex incestuosa, et ignominiosa susceptam coitu haeredem sibi in suo testamento instituere, vel legata aliqua facere, vel aliqua inter vivos, vel causâ mortis donare, vel donari facere per personas interpositas simulatè, et etiam fraudulenter praesumat, ut de multis sepius est repertum. Quòd si secus fuerit à quoquam attemptatum, institutio, legatum, seu donationes factae taliter ipso jure non valeant. Et haereditas et legata, et donata hujusmodi nostro fisco ipso jure sint adquisita, si de bonis per ecclesiam adquisitis facta fuerunt. In aliis verò bonis stetur juri communi: cum secundum leges communes etiam filii et suscepti taliter, nec sunt filii nominandi, nec agnicionem habeant, neque etiam sint alendi.

*Quòd rectores ante mortem faciant inventarium de bonis suis.*

Ad haec cùm per statuta tam provintialia, quàm synodalia ecclesiarum rectoribus sit concessum quòd de bonis per ecclesiam adquisitis sub certis formis testari valeant, parte tricesimâ nobis in bonis hujusmodi et nostris successoribus reservatâ; quia tamen saepè contingit quòd rectoribus hujusmodi vitâ functis aliqui praesertim defunctorum consanguinei, vel affines, servitores, vel poenitùs extranei bona per defunctos relicta hujusmodi rapiunt, furtim subripiunt, inter se dividunt, et alias fraudulenter occupare praesumunt in animarum eorum grande periculum, et non modicum perjuditium defunctorum, cùm saepius ex hoc voluntas eorum non valeat adhimpleri, pars nostra etiam tricesima diminuitur, ac etiam deffraudatur: volentes etiam justitiam nostram, qui alios tenemur in suâ justitiâ confovere: volentes etiam jam dictis periculis quantum cum Deo possumus obviare, de consilio nostri capituli statuimus, quòd rector quilibet vivens cum notario et testibus fidedignis in ultimis diebus suis ante conditum testamentum, vel paulò post faciat inventarium de omnibus suis bonis mobilibus, et immobilibus, et se moventibus quibuscumque. Quod nisi fecerint, pro nobis debita, quae per dominum Petrum bonae memoriae predecessorem nostrum, usque ad tricesimam partem, pro taxa sit pars decima nobis reservata. Ita quòd poenae nomine decima pars bonorum omnium per rectorem relictorum hoc qui inventario praedicto infecto decesserit, nobis ex integro debeatur.

*Quòd rectores habeant, et observent constitutiones provintiales, et synodales.*

Attendentes quòd licet secundum constitutionem synodalem omnes rectores dictae civitatis, et diocesis Dertusae debeant habere constitutiones tam provintiales, quàm synodales; tamen ut ipse dominus episcopus intellexit non omnes rectores habent constitutiones praedictas: ideò mandavit eis quòd ipsas constitutiones habeant, et illas firmiter custodiant, et observent, si institutam poenam contra nón habentes easdem, et alias poenas in ipsis contentas voluerint evitare.

*Revocatio constitutionis, quae incipit: Quamvis in concilio Agatensi.*

Item dominus episcopus cum consilio et assensu dicti capituli absolvit, et revocavit ex causa sententiam excommunicationis promulgatam in constitutione synodali contra comedentes carnes et cibaria judaeorum et sarracenorum, prout in ea continetur, quae incipit: *Quoniam in concilio Agatensi.* Quoad alia tamen contenta in dicta constitutione, ipsam voluit remanere, praecipiens dictiâ rectoribus quod in ecclesiis suis publicè moneant parrochianos suos, quòd à praedictis carnibus et cibariis abstineant omninò, et eis uti cessent, alias graviter peccarent.

*Revocatio constitutionis, quae incipit: Ad haec, et ejus poenae.*

Item cùm non debeat reprehensibile judicari si secundum qualitatem temporum statuta quoque varientur

humana, praesertim cùm urgens neccessitas, vel evidens utilitas id exposcat: idcircò memoratus dominus episcopus, attentâ utilitate dictorum rectorum, et alias ex causâ justa, et rationabili, et ad praeces dictorum rectorum revocavit constitutionem synodalem per ipsum factam in aliâ synodo super confectionem inventarii fiendi per rectores de bonis eorum, et poenam in eâ contentam, quae quidem constitutio incipit: *Ad haec cum per statuta.* Retinuit tamen sibi et successoribus suis idem dominus episcopus tricesimam partem bonorum rectorum defunctorum; et qui de coetero decedent, remaneant in sui robore et firmitate juxta constitutionem synodalem super hoc editam, quae incipit: *Quamvis dominus Petrus.*

*Declaratio constitutionis quae incipit: Quoniam matrimonia clamdestina.*

Praeterea praefatus dominus episcopus cum consensu praedicti capituli concessit praedictis rectoribus, quòd monitiones fiendas ante celebrationem matrimoniorum secundum constitutionem synodalem, quae incipit: *Quoniam matrimonia clamdestina*, possint facere quolibet anno in tempore nuptiarum quod incipit in festo sancti Ilarii, et finit in septuagesimâ similiter unâ die, vel duabus, vel tribus, vel illâ die, seu diebus de qua, vel de quibus benè visum fuerit rectoribus supradictis; non obstante dictâ constitutione, quam tollimus, quantum ad istum casum. In aliis verò temporibus voluit, et mandavit ipsam constitutionem et contenta in ea in suo robore permanere.

*Quòd per totam diocesim celebrentur festa hìc contenta.*

Item cùm in ecclesiâ Dertusensi ex ordinatione ipsius fiat quolibet anno in qualibet septimanâ in die Mercurii officium IX. lectionum de Beato Augustino ad ejus honorem, et laudem, in cujus regulâ religio canonicorum dictae ecclesiae est fundata; nec non cùm in dictâ ecclesiâ sit ordinatum quòd in octavis Sancti Stephani, Sancti Joannis, et Sanctorum Innocentium celebrentur octavae IX. lection.: idcircò praefatus dominus episcopus cum consilio dicti capituli ordinavit quòd tam in ecclesiis civitatis, quàm aliis diocesis Dertusae, et per totam ipsam diocesim fiant, et celebrentur officia supradicta secundum ordinationes super hoc factas, et prout in eis continetur, de quibus praecipit idem dominus episcopus quòd omnes rectores habeant copiam et translatum, et observent: aliter eos graviter puniemus.

*Qui casus sint episcopo reservati.*

Cùm aliqui rectorum nostrae diocesis Dertusensis nesciant casus poenitentiales nobis reservatos, et contingat interdum quòd audiunt confessiones confitentium, et illis poenitentias injungunt, eosque absolvunt in casibus supradictis, fueritque nobis propterea per dictos rectores humiliter supplicatum quòd per constitutionem ipsos casus declararemus, et ordinaremus, qui per nos et successores nostros essent retenti: idcircò habitâ informatione qui casus retinebantur per predecessores nostros; cupientes periculis animarum, quantum possumus providere, cum consilio et assensu venerabilis capituli nostrae ecclesiae Dertusensis retinemus nobis, et successoribus nostris poe-

nitentiales casus infrascriptos. Ita quòd nullus rector sive vicarius aut quivis alius habens curam animarum, saecularis, aut religiosus civitatis, et diocesis nostrae Dertusensis absque licentiâ nostrâ, et nostrorum successorum, vel nostri et ipsorum successorum vicarii generalis aliquem ad confessionem et poenitentiam admittat, praeterquam in mortis articulo, in dictis casibus aut aliquo eorundem; sed illum confitentem sive confiteri volentem remittant ad nos, vel nostri successores, aut nostri et ipsorum vicarium generalem: alios autem casus concedimus dictis rectoribus, et aliis superius expressatis. Monentes eos, et in domino exortantes quòd in confessionibus audiendis et poenitentiis injungendis districtè, et cautè, et more periti medici se habeant, et prudenter intelligant, quale eis debeant prebere consilium, et cujusmodi remedium adhibere: praedicti siquidem casus per nos, ut prefertur, retenti sequuntur in hunc modum. Et primo si quis confiteatur se credere haereticam pravitatem, sive esse receptorem, et fautorem haereticorum. Item clerici symonyaci, quocunque modo commiserint symoniam. Item clerici qui absque nostrâ licentiâ, vel successorum nostrorum ab alieno episcopo, aut praeter conscientiam nostram, vel dictorum successorum nostrorum, sive sine examinatione se fecerit promoveri. Item clerici per saltum promoti aliquo ordine pretermisso. Item apostatae in ordine suo, vel in suâ religione. Item non promoti ministrantes in officio divino, ac si essent promoti. Item illi qui suos filios occiderunt studiosè, vel negligenter, seu invenerint juxta se mortuos, et qui illos exposuerunt per se, vel per alios ad portam ecclesiae, vel in alio loco, si sit publicum, vel fama. Item illi qui tractaverint in malos usus Eucharistiam, sive Crysma. Item illi qui facto, verbo, consensu, vel alio modo homicidium pertractaverint, si sit publi-

cum, vel si sit fama. Item sacrilegi: videlicet interfectores, percussores, ac violatores clericorum, tam saecularium, quàm religiosorum, et invassores vel violatores ecclesiarum, et incendiarii, et auferentes sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro, et rem datam ecclesiae accipientes. Item retinentes contra ejus voluntatem, si sit publicum vel fama. Item et qui in ecclesia coierint cum muliere, vel alias per coitum ecclesiam polluerint, si sit publicum vel fama. Item qui luxuriam commiserint, seu compleverint cum matre, filiâ, vel sorore, vel aliâ consanguineâ suâ infra quartum gradum, aut cum sanctimoniali, vel monacâ consecratâ, vel non consecratâ, si sit publicum vel fama. Et qui cum judaeâ, vel sarracenâ, vel quae cum judaeo, vel sarraceno, vel bruto animali coire ausu temerario, et nephario praesumpserit, si sit publicum, vel fama. Item mulier quae ex adulterio conceperit infantem, quem maritus ejus credit esse suum, propter quem legitimi haereditate paternâ defraudantur. Item qui, vel quae fecerit abortivum, vel tractaverit, si sit publicum, vel fama. Item iterantes scienter babtisma, tam babtizans, quàm babtizatus. Item qui contra aliquem falsum tullerit testimonium in aliquibus causis, si sit publicum, vel fama. Item falsarii litterarum nostrarum, et nostrorum successorum, vel nostri, et ipsorum vicariorum, et officialium, et etiam falsarii litterarum domini nostri papae. Item maledici, hi qui contra Deum, vel aliquem sanctum, maximè qui contra beatam Virginem Mariam linguam blasfemam laxaverint. Item exercentes maleficia in matrimoniis vel ligamenta, si sit publicum, vel fama. Item commitentes vitium carnale contra naturam, si est publicum vel fama. Item qui per vim violaverint, vel cognoverint aliquam mulierem carnaliter, si sit publicum, vel fama. Item tenentes ad restitutionem

decimarum, vel primitiarum, et aliarum obligationum, seu substractorum, sive illicitè adquisitorum excedentium summam XX. solidorum. Item et excommunicati à canonibus, vel constitutionibus provintialibus, vel synodalibus majori excommunicatione. Item et violantes, seu frangentes vota. Item si consanguinei, vel affines contrahunt matrimonia infra gradum prohibitum. Item si babtizatus et is qui illum suscipit de babtismo, vel idem babtizatus et ipsius suscipientis filii, et uxor prius cognita carnaliter, aut suscipiens, et babtizati pater, vel mater matrimonium contraxerint, aut alias inter eos perpetrabitur, seu commiscetur fornicatio, sive àdulterium: et quod de suscipiente dictum est, idem fiat de bablizante. Et quod praedictum est in casibus proximè dictis, idem servetur inter confirmantes, seu fronte crysmatos, et illos ad hoc tenentes. Item matrimonia clamdestina contrahentes. Item portantes arma ferrea, et lignea sarracenis, et alias res prohibitas.

*Quòd rectores pro tricesimâ parte bonorum dimittant in morte XIII. solidos episcopo.*

Item licet in signum universalis dominii dominus Petrus, et dominus Franciscus bonae memoriae praedecessores nostri retinuerint, videlicet dominus Petrus decimam partem, et dictus dominus Franciscus tricesimam partem bonorum rectorum nostrae diocesis Dertusensis, quae habent tempore mortis ipsorum, ut in constitutione ipsius domini Petri, quae incipit: *Item statuimus, et ordinamus quòd rectores ecclesiarum parrochialium &c.* et in constitutione dicti domini Francisci, quae incipit: *Item quamvis dominus Petrus bonae memoriae &c.* latius continetur: verùm cum fuerimus veraciter informati quòd

dicti rectores reputantes dictam tricesimam partem etiam nimis magnam, non curabant reservare bona eorum; itaque tempore mortis ipsorum nulla, vel pauca bona inveni bantur, et inveniuntur, multaeque propterea piae et laudabiles ordinationes ultimae ipsorum rectorum tollebantur et tolluntur: idcircò nos ad supplicationem rectorum nostrae diocesis, volentes eis facere gratiam spetialem, de consilio et assensu praefati nostri capituli, tricesimam partem retentam per praedictum praedecessorem nostrum revocamus, et eam reducimus, ad id, videlicet, quod nos et successores nostri habeamus tantum à quolibet dictorum rectorum, et eorum successorum, et de bonis ipsorum mortis tempore eorundem, XIII. solidos monetae currentis in locis, seu villis ecclesiarum rectorum praedictorum. Quos XIII. solidos in signum universalis dominii nobis, et nostris successoribus retinemus. In aliis autem dictas constitutiones memoratorum praedecessorum nostrorum volumus in suo robore permanere.

*Quòd rectores possint ordinare in suâ ecclesiâ cappellaniam, et anniversarium, et in ecclesiâ sepelliri.*

Denique ad honorem ecclesiarum nostrae diocesis Dertusensis, et rectorum earundem, qui modo sunt, vel pro tempore fuerint, ordinamus de consilio, et assensu dicti nostri capituli, quòd si quis dictorum rectorum ordinare voluerit in suâ ecclesiâ cappellaniam perpetuam, aut perpetuum anniversarium, liceat hoc sibi, dum tamen cappellaniam dotet ad minus de quindecim libris perpetuis, et dictum anniversarium saltem de decem solidis censualibus perpetuis. Et valeat, si voluerit, in ipsâ ecclesiâ absque contradictione qualibet sepelliri in pavi-

mento ejusdem, sive tumulo, aut vaso, vel aliquo opere alio. Executores autem bonorum vel haeredes illorum rectorum qui ibi sepulti fuerint, teneantur et compellantur ipsius ecclesiae pavimentum propter hujusmodi sepulturam corruptum, sive destructum, reficere competenter.

*Indictio et convocatio concilii provincialis Dertusensis, die X. Septembris ann. 1429 celebrandi.*

EX ARCH. SEGOBR.

*MONITUM.*

Hoc concilium indixit cardin. Petrus de Fox, Martini V legatus, ad delenda penitùs praeteriti schismatis vestigia, quae Petro de Luna decedente, in successoris sui Aegidii Munnozii obedientiâ premere nonnulli infracto animo satagebant. Cessit pontificatui Aegidius apud villam S. Matthaei die XIV Aug ann. 1429. Ejus rei acta, tum et concilii constitutiones edidit cardinalis de Aguirre. Deest tamen ibi convocatio synodi, quam modo ex autographo ad capitulum Segobricense misso, damus.

Petrus, miseratione divinâ tituli Sancti Stephani in Coelio Monte presbyter cardinalis, in regno Aragoniae et omnibus aliis partibus, insulis, civitatibus, terris et locis serenissimo principi domino Alphonso Aragonum regi illustri subjectis, à latere sedis apostolicae legatus, venerabilibus, et discretis viris, et capitulo Segobricen. salutem, et sinceram in Domino charitatem. Pridem sanc-

tissimus in Xpto. pater, et dominus noster dominus Martinus, divinâ providentiâ papa quintus, more pii patris considerans, quòd ecclesiae, monasteria, et quaevis alia pia loca in terris, et dominiis praefati domini regis constituta, nec non personae ecclesiasticae in illis degentes, occassione quorumdam scismaticorum, castrum Paniscolae tunc inhabitantium, in suis libertatibus laedebantur, nichil ardentius, nichil majore afectione desiderans, quàm ecclesias, monasteria, piaque loca, et personas ecclesiasticas in sui status liberâ amplitudine, sedemque apostolicam, quae omnium caput est, et magistra, in suâ auctoritate, pro praedictorum Paniscolensium, haeresumque et scismatum hujusmodi extirpatione, correctione, reformatione, et emendatione, ecclesiasticaeque libertatis reintegratione, ac nonnullis aliis praemissa concernentibus, nos ad terras, et loca hujusmodi legatum à latere ipsius sedis destinavit, constituit, et deputavit; mandando nobis, ut in ipsis evelleremus, destrueremus, aedificaremus, plantaremus, deformata reformaremus, et corrigenda corrigeremus, ac statueremus quicquid ad statum ecclesiarum, monasteriorum, et piorum locorum hujusmodi, et ad conservandam dictae sedis auctoritatem, et ecclesiasticam libertatem profuturum cognosceremus: conciliumque praelatorum exemptorum, et non exemptorum, et aliorum quorumcumque, prout nobis visum fuerit, convocaremus, et alia faceremus, quae in literis apostolicis super hoc confectis plenius continentur. Optantes igitur circa praemissa ex injuncti Nobis officii debito salubriter intendere, duximus ordinandum, ut in ecclesiâ Dertusensi pro praedictis, et aliis necessitatibus, tam universalis, quàm civitatum regni, terrarum, et locorum supradictorum ecclesiarum, monasteriorum, et piorum locorum hujusmodi statum concernentibus, deci-

mâ die proximè instantis mensis Septembris cum continuatione dierum sequentium, concilium cleri, regni, civitatum, terrarum, et locorum antedictorum celebremus. Idcircò discretionem vestram requirimus, et monemus, vobisque nichilominus districtius injungentes, quatenus ad praedictos locum et diem procuratorem idoneum cum sufficienti mandato ad ea, quae in dicto concilio agenda fuerint, sine defectu destinetis: qui sciat, et velit super praedictis, et aliis, quae ad laudem Dei, statumque ecclesiarum, monasteriorum, piorum locorum, personarum, ecclesiasticarum, et reipublicae pertinent, salubre consilium nobis dare, et qui procurationes non recipiat aliorum; ut cum ipsius et aliorum consilio ordinare possimus, quae sint Deo grata, dictisque ecclesiis, piis locis, et personis ecclesiasticis fructuosa existant. Dat. Calatajubii Tirasonen dioc. sub nostro sigillo rotundo, quo in praesentibus litteris uti volumus, cal. Augusti, pontificatus praefati domini nostri papae anno duodecimo.

# ÍNDICE

## DE LAS COSAS MAS NOTABLES.

# VIAGE LITERARIO

# A LAS IGLESIAS DE ESPAÑA.

SU AUTOR

*EL P. FR. JAIME VILLANUEVA*,

*DE LA ORDEN DE SANTO DOMINGO, PRESENTADO EN SAGRADA TEOLOGÍA, INDIVIDUO DE LA ACADEMIA DE LA HISTORIA.*

## TOMO VI.

*VIAGE A LA IGLESIA DE VIQUE.*

*AÑO 1806.*



VALENCIA

EN LA IMPRENTA DE *OLIVERES*, ANTES DE *ESTÉVAN*.

1821.

*Fungar vice cotis.*

# ADVERTENCIA.

Mas de catorce años han transcurrido desde que se publicó el tomo V de este *Viage literario*, hasta el presente en que se permite su continuacion. La invasion francesa, al paso que me impidió proseguir examinando los archivos de las provincias ocupadas por los enemigos, tambien me estorbó publicar lo que hasta el año 1808 tenia trabajado en la de Cataluña. A aquellos seis años de destrozo y de gloria para España, sucedieron otros tantos en que tampoco me fue dado imprimir el fruto de mis tareas. Y no habiendo causa alguna pública que lo impidiese, tuve que sufrir entre otros ma-

les el dolor de que pareciese verisimil lo que esparcian algunos mal intencionados, esto es, que desde el año 1802, en que me encargué de esta comision, no habia hecho sino holgar y andar huyendo de la vida del claustro, y malgastando los escasos auxilios que se me dieron para la empresa. Lo que hay de cierto es, que ni el Gobierno publicó lo que faltaba, ni permitió que otro á sus propias expensas lo hiciese. No entro yo ahora en los motivos que para ello pudo tener; pero digo ingenuamente que no tanto me dolia el verme sin el honor que de la impresion de estas obras pudiera resultarme, como el que por haber sido yo el viagero, y no otro mas exento de tachas, se malograsen estas útiles investigaciones en daño del público que no tenia la culpa de esta eleccion.

El deseo que siempre he tenido de servir con lo que puedo á mi patria, y que es lo que me sostuvo en la in-

comodidad de mis viages, al fin halló cabida en el corazon de nuestro monarca el Sr. D. Fernando VII; el cual, oido el dictamen de la Academia de la Historia, y vista la *Noticia* que poco antes se imprimió acerca del objeto, plan y fruto de mi comision, atendiendo al provecho comun y no á la pequeñez del que lo procura, mandó con su Real orden de 7 de Diciembre del año pasado 1820 que se continuase la impresion de estos libros.

Conforme pues á los designios del Gobierno, presento al público la continuacion de mis viages, comenzando por el de la santa iglesia de Vique, que ya en 1808 habia entrado en prensa. Que aunque la restauracion de esta iglesia es casi un siglo posterior á la de otras catedrales antiguas de Cataluña, los documentos de los siglos X y XI que en ella se conservan, proporcionan una cumplida demostracion de lo que fueron estas canónicas en ese tiempo: pun-

to que era preciso dejar averiguado para todas estas iglesias en la primera que se hablase de ellas. Lo cual es uno de los motivos porque le di la preferencia, amen de lo importante que puede ser á la historia y literatura la noticia de sus antiguallas y las de los monasterios de su diócesi, entre los cuales se cuenta el famoso de Ripoll.

*tus, cum omnibus quae habet, in baiulia Sancti Petri sedis Vici, et eiusdem episcopi, et successorum suorum.*

## ARNALDO

*desde el año* 1102 *hasta* 1109.

A las memorias de este prelado debo añadir la de que acaso fue de la ilustre familia de *Malla*, segun puede inferirse del martirologio de esta iglesia, donde se halla el obito siguiente: *VIII. Kal. Iunii anno XVIII. regni regis Ludovici* (1126) *obiit Estephania de Medala, mater Bernardi archidiaconi, et soror Adirnal pontificis.*

En la noticia de la adjudicacion de la iglesia de S. Estevan de *Granollers* al monasterio de Ripoll hecha en 1103 (de que habló Florez pag. 188), hay que añadir, que la escritura original de ello está en Ripoll *(arm. de la abadía, leg. Granollers)*, y que en ella subscriben Pedro abad de Ager y *Petrus episcopus Nazarensis confirmo.*

Del mismo año es una escritura con que el conde *Ramon Berenguer*, de consentimiento de nuestro obispo *Arnaldo*,

dejó en su libertad y total independencia al monasterio de Santa Cecilia de Monserrate, el cual antes estaba sujeto á San Cucufate *del Vallés* ; su fecha es *Anno M.C.III. Era M.C.XXXXII. Indictione XII. VIII. Idus Septemb. anno XLIII. regni regis Philippi.* De ella he visto un traslado en Monserrate (*caj.* 10. *leg.* 1). A la indiccion sobra una unidad; ó digamos que tomaron ya la del año siguiente, como tambien tomaron la era; y asi se ve en otras escrituras fechas entrado el mes de Setiembre. Mas adelante quejándose el abad de S. Cucufate de esta disposicion, se remitió la causa á nuestro obispo, á *Raimundo* obispo de Barcelona y á *S. Olaguer*, prior entonces de S. Adrian; los cuales se juntaron *apud Matam de Pera*, y juzgaron unánimes que segun un privilegio del papa Urbano II, el monasterio de Santa Cecilia debia permanecer sujeto al de S. Cucufate, salvo el derecho de la iglesia de Vique. Esto sucedió *XVI. Kal. Augusti anno XLVIIII. regnante rege Philippo.* La escritura original vi en Monserrate (*caj.* 10. *leg.* 1. *n.* 18) (*a*). Pertene-

(*a*) Apend. n. XLI.

ce esto al año 1108 de Cristo, último de Felipe, cuyo reinado comenzó el notario desde la primera época de él en 1059.

Volviendo á las memorias del obispo, en el archivo del monasterio de Amer vi la escritura original de la dedicacion que hizo de la iglesia de S. Miguel de *Ordeig*, sujeta al mismo monasterio. Su fecha es: *anno Dominice incarnationis M.C.IIII. Indictione XII. regni quoque Philippi XLVII. die VIII. Decembris.* La indiccion cuadra bien con el año de Cristo; mas no el del rey Felipe, que debió escribirse el 44 ó 45. ¿Quien adivinará la cuenta que el notario se forjó? ¿Diremos por eso que esta escritura no es original? ¿que es apócrifa?

No le excede en esto, con ser mas exacta, otra escritura de consagracion de la iglesia de S. Marcial de *Monseny*, celebrada por nuestro obispo acompañado del de Gerona *Bernardo Umberto.* El primero hizo aquella solemnidad, por ser el lugar de su diócesi, y el segundo asistió por ser de su patrimonio, como monasterio dotado por sus padres *Umberto* y *Sicardis*, cuya constitucion confirman ahora estos obispos, aprobando de

nuevo la que hizo el obispo *Guillermo* de Vique el año 1066, como vimos en su lugar (*a*). Hay que notar que entonces se instituyó abadía, y ahora no suena aquella casa gobernada sino por prior, que lo era *Bonushomo*. A esta decadencia dió causa la violencia con que *Arnallo* prior de Bañolas usurpó los alodios de esta iglesia, trasladándolos á otra de la diócesi de Barcelona, como se expresa en la escritura que va copiada del archivo de S. Salvador de Breda (*b*). Asi esta como la otra del obispo *Guillelmo* indica ser escritura de consagracion. Mas no habiendo en ninguna de las dos ocasiones edificio nuevo de iglesia, se han de reputar ambas por de pura dotacion ó confirmacion de la casa y sus posesiones. Porque sabido es que para seguridad de ellas no habia en aquellos siglos otro medio mas eficaz que publicar el obispo, en este acto solemne, que tales bienes eran del monasterio ó iglesia, dedicados y consagrados al culto de Dios y al alimento de los que alli le servian. Dígolo, ya que se ofreció la oca-

(*a*) V. sup. pag. 200.
(*b*) Apend. n. XLII.

sion, porque algunas escrituras de consagracion de iglesias no son mas que esto que digo. A este monasterio impuso nuestro obispo la obligacion de sujetarse al sínodo de Vique, como lo hizo ó debió hacer su primer abad *Guifredo*. Fue esto año de la encarnacion de Cristo 1104, indiccion XII, dia 5 de Febrero, año XLV del rey Felipe.

De la restauracion de la canónica de *Manlleu*, ó decreto dado por nuestro obispo en 1105, habló Florez (pag. 190) extractando aquella escritura. Mejor será ver copia de ella; y va adjunta (*a*).

Asi como esta escritura pertenece al año 1105, y con todo eso se notó el año 47 de Felipe: no sé si tendrá lugar la misma discordancia en otra que va copiada del original, y que solo notó el año 48 de dicho rey. Mas de un modo ó de otro es una nueva memoria del obispo *Arnaldo*, el cual absolvió á *Ugo* hijo de *Dalmacio* y á su muger *Ermesindis* de la sentencia de excomunion en que incurrieron por haber ocupado la iglesia de *Rosdors*. Redimiéronse ellos con una nue-

(a) Apend. n. XLIII.

va donacion á esta catedral (*a*).

Al año 1108 y dia 17 de Julio pertenece otra escritura que vi en el archivo abacial de Cardona, y es la aprobacion que dió nuestro obispo de la dote de la iglesia de Santa María, construida en el monte de *Molsosa*, la cual con licencia de los canónigos de Vique (acaso en alguna vacante de sede, ó por ser de la jurisdiccion de ellos) habia dedicado *Berenguer* obispo de Barcelona. De esto se dirá mas en lo de Cardona.

## RAMON GAUFREDO

### *desde* 1110 *hasta* 1146.

En este obispo termina el P. M. Florez el estado antiguo de la iglesia de Vique; y yo tambien acabaré esta carta que salió mas larga de lo que pensé. Mas todavía es preciso decir dos palabritas de una concordia que este prelado hizo y firmó con sus canónigos, ofreciéndose mutuamente á defender sus bienes, y jurando terminar privadamente las querellas

(*a*) Apend. n. XLIV.

que en adelante se suscitasen á juicio de cuatro individuos escogidos del mismo capítulo, sin acudir á otro capítulo extraño, y mucho menos al juicio arbitral de personas seculares. Añadieron que el que quisiese entrar en su hermandad, esto es, ser canónigo, debia antes jurar este estatuto, *nisi aetas*, dicen, *vel stultitia illum impedierit.* Hállase esta escritura sin fecha, como es frecuente en las de esta clase. Mas su caracter, el nombre del obispo y de la mayor parte de los canónigos que subscriben en ella, demuestra que pertenece á este pontificado (*a*).

Tambien va nueva copia de las actas del concilio de Narbona, en que se estableció una cofradía de contribuyentes á la restauracion de Tarragona. Al P. Florez (pag. 199) envió copia el P. Caresmar de la que él halló en el archivo de Ager: y debió ser de la notada alli con el núm. 2342, la cual es muy diminuta. Yo la tomé del otro egemplar que alli hay núm. 96[illegible]. Solo advierto que de dichos dos egemplares uno es del año 1128 y otro del 1129, no del 27 y 28 (*b*).

(*a*) Apend. n. XLV.

(*b*) Apend. n. XLVI.

En 1130 se halló con *S. Olaguer*, arzobispo de Tarragona, y *Pedro* obispo de Roda, en la dedicacion de la iglesia de *Tolba* en Aragon; la cual algunos creen que fuese la antigua sede de *Ictosa*, mencionada en la division de obispados que se atribuye sin razon al rey Wamba. De esto se dirá en su lugar. A este mismo año 1130 pertenece la junta de condes y obispos en Barcelona, que Florez adelantó al 1125 (pag. 197). Al año que digo la pone el original que vi en S. Pedro de Roda, donde lo copié para mi coleccion. Y es de notar, que las palabras que Florez copió para honrar la sede de Vique, en el mio honran la de Barcelona. Y es que debieron escribirse varios egemplares, segun la variedad de los obispos que asistieron; á cada uno de los cuales en su distrito hicieron juez de los malhechores que alli se quisieron castigar.

En 1134 se halló presente y aprobó el decreto del mismo *S. Olaguer*, y del conde *R. Berenguer IV*, en que concedieron su inmunidad y proteccion á los que profesaban la orden de Jerusalen. En el viage de Barcelona irá copia de esta escritura, sacada del archivo real de aque-

lla ciudad, en la cual firma de su mano nuestro obispo.

Otra noticia quiero poner aqui, aunque no toca á este prelado ni á su iglesia; y es la de un concilio celebrado en Narbona por su arzobispo *Arnaldo*, legado de la Sede apostólica, en el año 1135; en el cual el obispo *Udalgario* de Elna dió razon de como los moros invadieron aquella ciudad, y se llevaron cautivos á muchos cristianos, para cuyo rescate pedian que se les entregasen cien doncellas. El concilio para remediar este daño expidió un decreto concediendo varias indulgencias á los que contribuyesen con alguna suma de dinero. Hállase en el archivo de esta catedral (494) este decreto, que debieron enviar á las iglesias de la provincia comarcana Tarraconense, separada ya entonces de la de Narbona. Va copia de él por si no es conocido (*a*).

Volviendo á nuestro obispo, dia 18 de 1136 con acuerdo del conde de Barcelona hizo donacion de las iglesias de Santa María de *Prats de Rey*, y de S. Andres de *la Menresana* á los canónigos del Santo

(*a*) Apend. n. XLVII.

Sepulcro de Jerusalen, á su patriarca *Warmundo* y á su prior *Girardo*. Consta del Cartoral 1.° de dicha villa de Prats.

Hallábase en Barcelona en 1139 cuando se extendió el decreto de eleccion del obispo de aquella catedral *Arnaldo Ermengol*, en el cual firmó de su mano, como se dirá en lo de aquella iglesia.

Con el mismo obispo de Barcelona se halló en 1142 en el lugar de *Alfoz* (hoy *Alfou*) diócesi de Barcelona, donde consagraron ambos la iglesia de S. Julian. La escritura está aqui; mas no irá copiada hasta que se hable de aquel otro prelado.

Finalmente á 10 de Agosto de 1143 junto con su capítulo dió al monasterio de Santa Cecilia en Monserrate y á su abad *Guillermo*, la iglesia de S. Estevan de *Marganell*, cuyo patronato conservaba aun dicho monasterio durante todo el siglo XIV. Por lo menos he visto provisiones de su curato hasta el 1391, hechas por el abad de aquella casa. Los vecinos de aquel lugar debian recogerse al castillo *Marro* en tiempo de guerra, y seguir su someten, segun lo dispuso el rey D. Pedro IV de Aragon en 1364.

Estas son las memorias que he tenido

que añadir al episcopologio del P. M. Florez, dejando intactas y sin repetir las que él publicó, sino cuando ha sido necesario corregir alguna equivocacion. En la serie de los obispos siguientes podré hablar con mas fluidez cronológica; aunque no faltará ocasion de refutar la cuenta que sigue el catálogo impreso al principio de las sinodales. A Dios.

## CARTA L.

*Proteccion que debe á la literatura la riqueza de las personas particulares.*

Mi querido hermano: Quisiera poderte decir con razon, lo que sin ella dijo Gabriel Aquilino en su comentario á la dialéctica de Aristóteles, impreso en Paris 1519, el cual vi en la biblioteca de Belen de Barcelona: *moriar, lector, si te legisse poeniteat.* ¿Que te parece de la fanfarronada? ¿Será aplicable á la lectura de mis cartas? Dios me libre de tal pensamiento. Aunque tan desagradables como la dialéctica de Aristóteles.... no, eso no. Conozco que mas deleitables podian ser de lo que son, sino me viese precisado á tra-

tar de tantas menudencias fastidiosas. Pero de esto no tengo yo la culpa, sino el estado en que se hallan las pruebas de nuestra historia, que por la mayor parte yacen enterradas todavía en el silencio de los archivos, sin que haya quien se dedique á darles la vida que esperan. Acuérdome haber leido una oracion inaugural de los estudios de Barcelona, que recitó *in Lucalibus* el docto Cosme Damian Ortolá, antes que fuese abad de Vilabertran, hácia la mitad del siglo XVI. Pues este sabio catalan, bien conocido en la república de las letras por la destreza con que hermanó el estudio florido de las humanidades con el grave y sólido de la santa escritura, tomando por tema en aquella ocasion las palabras de S. Pablo: *Lucas est mecum solus*, las aplicó con singular gracia al desamparo en que él veía las ciencias, lamentándose por lo que las amaba del poco caso que les hacian los grandes señores y ricos de su tiempo. Qué diria del nuestro aquel orador, déjolo á tu consideracion. A centenares podran contarse los literatos que han perecido de necesidad, agobiados de las deudas que contrajeron por causa de sus estudios, compra de li-

bros ó gastos de impresiones: y muchos mas son los que por carecer de estos auxilios han dejado de ilustrar la nacion, con mengua del honor de ella. El Gobierno ha podido y puede contribuir á este objeto con la creacion de academias, establecimiento de bibliotecas, viages de varias clases y otras disposiciones semejantes. Mas esta grande obra de la ilustracion pública, aunque bajo las reglas que el Gobierno prescriba, solo puede medrar por especulaciones de las personas particulares. Y ojalá tuviese cabida en esto la avaricia del hombre, como la tiene en traernos de allende dijes y muebles baladíes é insulsos.

Es cosa que no acabo de entender. Andan con cien ojos los ricos buscando arbitrios y maneras como aumentar su caudal. Ven que los venecianos, por egemplo, imprimen y reimprimen sin cesar obras voluminosas que compra toda la Europa, y con cuyo producto enriquecen sus casas; y sin embargo no hay entre nosotros quien se dedique á estas especulaciones, como si ellas no cupiesen en el pecho español, ó se nos diese la plata y el oro para empobrecernos, engrosando tal vez á nuestros enemigos. Mengua es de los grandes seño-

res que dejen de proteger por este medio la literatura de casa, y vean con ojos serenos como pagamos á los que trabajan en la del vecino. En lo cual no solo causan este daño público, dejando perecer á los literatos y artistas; sino que á sí y á sus intereses hacen un daño particular. Porque claro está que el dinero que empleasen en reimprimir las obras, v. g. de S. Agustin, aunque tardasen diez años en recogerlo, al fin lo recogerian con no pequeña usura. ¿Y que digo esas obras? Vergüenza es de todo punto insufrible que el romano Catalani haya reimpreso la coleccion de concilios del cardenal Aguirre: y con lo que era y es nuestro nos esté sacando el dinero, si lo queremos leer.

Esto que digo de reimpresiones, sube mas de punto respeto de nuestras cosas inéditas. No hay en Cataluña biblioteca grande ni pequeña donde no se halle un egemplar de la obra intitulada *Marca Hispanica.* Prueba evidente de la loable codicia de estos naturales por saber las antiguallas civiles y eclesiásticas de su patria. Pues á la par de esto todavía está por publicar, y lo está ya casi dos siglos, la 2.ª y 3.ª parte de la *Crónica de Cataluña,*

escrita por Gerónimo Pujades, llena de documentos preciosos, que á mí el primero vendrian muy bien: *crónica* que el autor de la *Marca Hispanica* apreció mucho, y hallándose por acá como visitador regio desde 1644 hasta 1651, la pidió al mismo Pujades que aun vivia, y se la llevó á Paris. Esta dádiva parecerá increible al que considere que el que la recibió pagó el beneficio con el orgulloso *Puiadesii inscitia notatur*, que se lee en el índice de la *Marca.* Bien que esto no es de Pedro de Marca, sino de Balucio, que publicó y adicionó aquella obra, y en ella y en otras se aprovechó de los documentos que Pujades estuvo recogiendo por espacio de medio siglo, como asesor del duque de Cardona, de los archivos de Aragon, Cataluña, Valencia, Rosellon, Conflent &c., los cuales aquel frances disfrutó como si él por sí mismo hubiera visitado estos santos lugares. Llevada pues á Paris la crónica MS. nada mas se supo ya de ella, ni en Cataluña la vió nadie, hasta que en 1720, hallándose en aquella capital el obispo de Gerona D. Josef Taberner y Dardena por asuntos de su familia, logró que en la biblioteca real, á donde habian ido á parar

aquellos libros, se le permitiese sacar una copia de ellos. Esta única copia de que se tiene noticia, para en el archivo del Sr. marques de Villel, como heredero por su esposa de la casa de Taberner. Y allí se está y estará desconocida, mientras la *Marca Hispanica*, á pesar de sus nulidades y de las injurias que hace al honor español, ha sido comprada por los catalanes, por no hallar otra cosa en que se cebe su aficion á la antigüedad. Cuanto mas diligentes eran los antiguos, de los cuales un diario MS. de cosas acaecidas en Barcelona dice lo siguiente: «1614 en »lo mes de Setembre los Consellés dona»ren a mossen Pujades 500 lliures per es»tampar un llibre de historia; y lo doc»tor Rosell ne ague altres 500 lliures per »estampar un llibre de medicina."

He citado este egemplar entre otros muchos que pudiera, para que veas cuan escasos estamos de nuestras mismas cosas por la cobardía de los que pudieran hacernos este bien, haciéndolo ellos á sí mismos. Diran que no son literatos. Yo diré que no es menester que lo sean. Sí: que no era un sabio el arzobispo de Valencia D. Fr. Antonio Folch de Cardona; y sin

embargo con su proteccion florecieron allí Corachan, Tosca y otros. Del gran Cisneros nadie dirá que fuese capaz de escribir las obras que bajo sus auspicios y valimiento se escribieron entonces. Ni el duque de Lemos tuvo mas parte en el Quijote que la de amparar al genio inmortal que lo escribió. Y de papas y reyes y personages ilustres pudieran citarse muchos, de cuya boca me parece estar oyendo en otro sentido lo que yo digo de mis viages:

*. . . . . . . . . . . fungar vice cotis, acutum*
*Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi.*

Ni para lo que estamos tratando es menester, como hicieron esos señores, buscar quien escriba y acabe obras difíciles, ni traer de lejos profesores peritos en lenguas y artes y ciencias; basta dinero, papel é impresor: basta tener amor á la patria, ó deseo de la gloria póstuma, ó codicia de aumentar los caudales. Porque esas cosas ó juntas, ó de por sí cada una, bastaron para que otros se moviesen á proteger las ciencias y artes. Y este es el manantial de donde salieron las grandes colecciones diplomáticas de todas las naciones: que ya no hay ingles, ni fran-

ces, ni aleman, ni italiano, que necesite entrar en sus archivos para ver las pruebas de los hechos antiguos, ni nacion alguna de estas que no tenga escrita fluidamente la historia doméstica, con deleite del que lee, y con proporcion de desengañarse el que dudare. Y nosotros ¿que tenemos hecho en esta parte que de mil leguas pueda compararse con lo de afuera? Falta espíritu para emprender lo que con tanta ansia se desea; y ha sobrado en muchos de los que nos han precedido la manía de pasar por historiadores, la cual siempre será la polilla de la historia. Que si ellos en vez de ordenar sus relaciones, extractando las escrituras que disfrutaban á solas en el secreto de los archivos, las hubieran copiado é impreso, mayor bien hicieran á la historia, cuanto va del agua pura de una fuente á la de un arroyo tal vez enturbiada. Y en sus escritos pudieron ser y son tachados de error; mas en lo al todos les llenáramos de bendiciones.

Fáltanos mucho que andar en esto que digo. Solo el archivo real de Barcelona posee 7U y mas vol. fol. de registros reales, donde estan minutadas todas las órdenes que se dieron desde los años 1235

hasta casi entrado el siglo XVIII, relativas á comercio, artes, ciencias, náutica, agricultura, numismática, fábricas, expediciones militares, embajadas y relaciones políticas. Alli está la historia de todas esas cosas en esos siglos, de las cuales una cortísima muestra que nos dió el erudito Capmany, dispierta la sed de lo demas. El cómo se haga esto, no es de mi inspeccion decirlo. Pues las iglesias catedrales y colegiatas, y los antiquísimos monasterios de esta provincia, poseen mas ó menos gran número de diplomas inéditos, tocantes á la historia eclesiástica y civil. ¿Por que no se forman colecciones parciales, en que sobre la honra que ganarian los cuerpos, no perderian nada las personas que se interesasen en ello? Líbreme Dios de pensar que sea falta de amor á la literatura. No es asi; es una como cobardía, es no persuadirnos de que lo nuestro es en muchos puntos de un mérito superior á las bagatelas de esa clase que compramos de afuera. Parécenos que solo lo extrangero tiene ser, y que nuestras cosas comparadas con las suyas, son como si no fuesen. Esta idea nos sugieren los mismos extraños; y porque ellos

lo dicen de palabra y de obra, creemos que asi debe de ser: y compramos, v. g. las obras de los PP. publicadas por los Maurinos, como el *non plus ultra* de la pericia y laboriosidad de los hombres, sabiendo lo mucho que falta que hacer en esas ediciones, porque el orgullo frances, que no hizo ascos del polvo y basura de las bibliotecas de Alemania y de otras partes, no se dignó ver las del lindar de España, donde hubiera hallado códices mas antiguos y correctos que los que le sirvieron en aquella empresa, y eso aun convidado y estimulado por los españoles, como lo fue Martene por el citado obispo Taberner (*a*).

Este desprecio de los extrangeros solo puede remediarse con nuestra aplicacion. Y esta aplicacion que digo, no ha de ser obra del Gobierno solo, como algunos creen. Al Gobierno toca proteger al que se dedique á fomentar la prosperidad nacional; mas las empresas deben ser de los particulares. Los cuales arrostren sudores y gastos movidos de la gloria que en ello pueden adquirir, ó de la utilidad

(*a*) V. *Praef. in Vet. Script.* Edm. Martene.

pecuniaria que resulte. Estas pasiones son de cada corazon individual, y alli es donde obran con toda su fuerza, y de alli salen á poner en movimiento cuanto sirve á su objeto, el cual logran siempre que no hallen estorbos que les intimiden ó embaracen su carrera. Esperar á que el Gobierno excite la atencion de los sabios, y oficialmente les convide y señale pensiones á los que comisiona para esto ó lo otro, es querer el premio antes del trabajo.

No sé en qué ha de parar esta declamacion. Ya lo sé: en nada. Me he desahogado un poco contigo, y basta. A Dios.

APÉNDICE

# DE DOCUMENTOS.

## I.

*Decretum super restauratione monetae Vicensis, anno MCLXXIV.* (Vid. pag. 9.)

*Ex autogr. in arch. eccles. Vicen.*

Notum sit omnibus hanc scripturam videntibus, quoniam ego Petrus Dei gratiâ Ausonensis episcopus, facio, et restauro monetam Sancti Petri Ausonensis sedis, eiusdem ecclesiae omnium canonicorum consilio, et Raimundi de Monte Scatano (1), et multorum proborum hominum, tam villae Vici, quam episcopatus. Hanc autem monetam facio de lege quatuor denariorum argenti puri, et de legitimo pondere; ita quod XVIII. solidi denariorum exeant ad marcham (2). Et ut ista moneta in praedicta lege et pondere firmiter observetur, et teneatur, convenio ego iam dictus Petrus episcopus in verbo veritatis, et fidei puritate, et facio iurare in periculo animae meae per duos canonicos, scilicet, per Petrum de Tavarted, et Raimundum de Medaia, et per duos nobiles, et egregios viros, scilicet, Rai-

1 Hic praedictae urbis superiorem partem, velut dominus, in ipsius tamen ecclesiae feudum, tenebat.

2 Hi XVIII. solidi, denariorum argenteorum, qui tunc cudebantur, accipiendi sunt; quorum quilibet quatuor denarios comunes valebat; adeo ut marcha, quae in hac moneta Vicensi XVIII. solidos non excedebat, ex comparatione tamen cum aliis denariis in Catalonia communibus LXXII. solidos efficeret.

mundum de Monte Scatano, et Petrum de Luciano. Convenio etiam quod praescripta moneta non mutetur in omni vita mea, nec in lege, nec in pondere minuatur per nostrum consilium, vel stabilimentum, vel voluntatem. Quam si quis minueret in aliquo, acciperem inde vindictam consilio nostrorum proborum hominum, si persona illa in meam potestatem pervenerit; et hoc fiat bonâ fide. Praedicti namque canonici, videlicet, Petrus de Tavarted, et Raimundus de Medaia, faciunt hoc sacramentum in periculo animae meae, et animarum suarum, et aliorum canonicorum, quod pro voluntate mea, vel consilio, vel stabilimento meo, vel eorum canonicorum, iam dicta moneta, ut superius dictum est, in nullo minuatur. Nos etiam iam dicti Raimundus de Monte Scatano, et Petrus de Luciano hoc idem iuramus: adicientes quod per nos ipsos bonâ fide eam firmiter teneamus, et teneri faciamus. Actum est hoc Idus Decembris anno XXXVIII. regni regis Lodovici Iunioris.

Praeterea statuimus quod si quis infra villam Vici vendiderit, vel comparaverit quamcumque rem cum alia moneta, nisi cum supradicta, donet pro iustitia X. solidos, si probus homo est, et potens; si vero mediocris est, donet V. solidos pro iustitia. Et si de minoribus est, ascendat in Ciconia die mercati, et si infra septimanam contigerit, intret in Costel. De villanis, qui exterius venient, et extraneis ita statuimus, quod donent duos solidos unusquisque, quando inter se mercantur cum alia moneta, aut ascendant in Ciconia, aut intrent in Costel. Et si mercentur cum hominibus villae, donent homines villae numerum supradictae pecuniae, scilicet X. aut V. solidos. Haec autem poena sit de illis, qui usque ad centum solidos mercabuntur cum alia moneta; et si ultra centum solidos mercati fuerint, duplicetur iam dicta poena. Hanc etiam poenam statuimus de illis,

qui cambiatores fuerint de villa, vel extra villam, praeter illos, qui statuti sunt vel fuerint. = Petrus Ausonensis episcopus subscribo. = Sig+num Raimundi de Monte Catano. = Sig+num Petri de Tavarted. = Raimundus de Medaia hoc firmo. = Sig+num Petri de Luciano. = Raimundus sacerdos Vicensis claviger, tenens locum publici villae Vici scriptoris, subscribo.

## II.

*Indultum Innocentii IV. ut episcopus Vicensis monetam cudere possit, anno MCCLIV.* (V. pag. 10.)

*Ex arch. reg. Barcin.*

Innocentius episcopus, servus servorum Dei: venerabili fratri..... episcopo Vicen. salutem et apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est Nos facilem praebere consensum, et vota, quae a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum itaque, sicut ex tenore tuae petitionis accepimus, cusio monetae in civitate Vicen., tam ex largitione principum super hoc iurisdictionem habentium, quam de antiqua et approbata, ac hactenus pacifice observata consuetudine, ad te, et episcopos et ecclesiam Vicen. pertinere noscatur; Nos tuis supplicationibus inclinati, huiusmodi cusionem monetae, sicut eam iuste obtines, et quiete, tibi, et per te tuis successoribus, ac ipsi ecclesiae auctoritate apostolicâ confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Anagniae Idus Iulii, pontificatus nostri anno duodecimo.

## III.

*Decretum episcopi Vicensis super observatione monetae ipsius ecclesiae, anno MCCLV.* (V. pag. 10.)

*Ex arch. reg. Barcin.*

Notum sit cunctis, quod Nos Bernardus Dei gratiâ Vicensis episcopus, de consilio, et voluntate capituli nostri, monetam S. Petri Sedis Ausonensis, cui dispenente Domino praesidemus, fecerimus, et restauraverimus, ac gitaverimus, sive publicaverimus, et per totam villam Vici currere et recipere mandaverimus, prohibitione super hoc nichilominus interpositâ, ne cum alia moneta aliquis vendat ibidem, vel emat, vel aliquod aliud commercium contrahat; quia aliqui de praedicta villa Vicen., contemptis mandato et prohibitione praemissis, in dampnum ac praeiudicium nostrum et dictae ecclesiae, et in elusionem mandati ac prohibitionis superius contentorum, praedictam monetam refutant, et cum alia vendunt, emunt, contrahunt, quod nullâ ratione possumus clausis oculis pertransire; idcirco auctoritate Dei omnipotentis, et beatorum Petri et Pauli apostolorum et nostrâ dicimus, praecipimus, mandamus, et firmiter prohibemus omnibus generaliter, qui habitent villam Vici, quod nullus de cetero vendat, emat, aut aliquod aliud commercium contrahat in tota villa Vici, nisi cum praedicta moneta, quam fecimus et restauravimus, quae est propria Sedis S. Petri Ausonen. Et quicumque contrarium fecerit, et quicumque consilium, auxilium, vel favorem dederit, quod aliter fiat nisi praedictum quod hic dicimus, mandamus, praecipimus, et prohibemus, in eundem, qui-

cumque, aut qualiscumque sit, magnus vel parvus, homo vel mulier, excommunicationis sententiâ innodamus, a qua nisi per Nos non possit absolvi, vel illum cui super hoc comisserimus vices nostras, nisi fuerit in mortis articulo constitutus. Quod est factum II. Nonas Marcii anno Domini M.CC.L.IIII. = Sig✝num B. Dei gratiâ Vicen. episcopi. = Sig✝num A. de Muro Vicen. arcidiachoni, qui pro teste hoc firmat. = Ego B. de Tornamira Vicen. praecentor, qui pro teste firmo ✝. = Ego Bg. Burdi clericus Vicen. qui firmo pro teste. = Ego P. de Torrentibus clericus pro teste firmo ✝. = Sig✝num P. de Ayreis Vicen. canonici, et publici villae Vici notarii. = Sig✝num Bernardi de Costos (vel Costis) scriptoris iurati, qui haec scribi fecit, et clausit mandato Petri de Ayreis, publici Vicen. notarii, die et anno quo supra.

## IV.

*Restauratio et dotatio canonicae Ausonensis ecclesiae a Domino Wadamiro illius sedis episcopo facta anno DCCCCLVII.* (V. pag. 34.)

*Nunc primum in lucem prodit ex arch. reg. Barcin.*

Anno Dominicae Trabeationis DCCCC.L.VII. Inditione XV.[a] cum esset in egritudine reverentissimus vir Wadimirus episcopus in Sancta Sede in ecclesia Beati Petri in loco, quod dudum vocitatum est Vichum, mente sollicitâ, et intento corde venerunt ante eum channonici ipsius aecclesiae cum querela de channonica, quae iam retro fuerat instituta, et per neglegentia erat dissipata. At ille, Domino opitulante, mente conpunctus, libenti animo dedit responsum: Eia, fratres, confiteor peccatum meum, quia non bene custodivi ipsa channonicha retro insti-

tuta, sicut debui. Me sciatis Domino auxiliante in quantum vires subpetunt, cum consilio et adiutorio nostros inclitos marchiones domni Borrelli chomitis, et eius frater domni Mironi chomiti, et consultu domni Aemerici nostri archipraesul., et consensu nostris conprovincialibus episcopis domni Wilerani Barchinonensis episcopi, et Arnulfi sanctae sedis Gerundensis episcopi, et caetheris choetaneis nostris episcopis, et cum consilio congregationis cunctae istius aecclesiae Sancti Petri, et cunctorum procerum istius regionis, in quantum Deus annuerit, et mihi vires praevaluerint, modo eam restituo, et de redditibus nostrae aecclesiae sumpto quicquid vobis necesse fuerit, ut communiter vivere possitis, fideliter administrabo. Sed quia magnus est titulus cessionis, in quo nemo potest hactum largitatis inrumperere (sic), sed quicquid bonâ voluntate, hac libenti animo fit inrevochabili modo, et perenniter stabilitum; ob hanc igitur causa ego in Dei nomine Wadamirus episcopus dono atque trado vobis channonicis his praenominatis Ansemundus archilevita, Frugifer, Elias sacerdos, Suniarius sacerdos, Atto sacerdos (1), Brunichardo sacerdos, Elisagar sacerdos, Landoario sacerdos, Ramio sacerdos, Aigmar sacerdos, Salomone seu Vitales sacerdos, Rechaaredus sacerdos (2), qui in chommune vivere decernitis, vel successoribus vestris in perpetuum possidenda, idest, alaudem unum nomine Cerdanos cum decimis, et primiciis, et thaschis, et cum alium suum servitium, quod procedere exinde debet, et Marganello similiter cum beneficiis suis, et ipsas parroechias de Cristidano

1 Hic forte Atto episcopus statim Ausonensis, Tarracon. archiepiscopus, ac Sylvestri II. papae institutor.

2 Hic lacuna ingens in autographo conspicitur, in qua nihil scriptum, nec rasum aut emendatum est; sed spatium forte relictum erat aliis numerandis, qui canonicae vitae, qualem Wadamirus restaurari cupiebat, subscribere vellent.

cum ecclesiis et terminis suis, hoc quod ad ecclesia Dei pertinet, totum ab integrum, et ipsos tercios de Ausona, exceptus eos quos tenent ipsi channonici ipsius aecclesiae, et ipsam terciam partem meritorum (certe mercatorum) terrae, tholoneis ex rebus regalibus a Deo conlatis, et Beato Petro apostolo, et episcopis eiusdem ecclesiae, vel successoribus eorum concessis, seu raficum Ausone transeuntium, seu pascuarium, atque aetiam ipsa moneta; insuper aetiam ex praedictis rebus omnem decimam channonicis eiusdem aecclesiae servientibus, quem chomītes a Deo inspirati ibi contulerunt; et ipso alaude qui fuit condam Olibani, et est iuxta prato que vocitant Narbones (1). Haec autem omnia superius inserta dono atque trado vobis in perpetuum habenda, ut ab hodierno die et tempore teneatis, possideatis, ut regulariter exinde vivatis, et secundum instituta Sanctorum Patrum fideiissimi dispensatores existatis, in susceptione ospitum, et sustentacione peregrinorum, in sublevatione captivorum, et in omnibus gradibus bene ministrando, ut audire mereatis a Domino quod servus bonus, qui supererogavit triticum conservis suis in tempore suo. Sic autem haec omnia inconvulsa vobis tribuo habenda, ut neque rex, neque ullus marchio, neque ego, neque successores mei, neque ulla parva vel magna persona aliquit exinde minuare, aut extraere audeat. Quod si quis fecerit, et Deo honore non dederit, et per violentiam inrumpere temptaverit, in primis a liminibus sanctae Dei aecclesiae extraneus fiat, et veniant super eum universae maledictiones veteris haç novi Testamenti; et velut stipula ventu rapta rothando depereat. Et sic percutiatur ut curari nequeat; et dum in hoc corpore vivit, nisi re-

1 Hic rursus lacuna, ut aliae donationes abs dubio excriberentur.

sipuerit, et satisfactionem fecerit, numquam bene inveniat; et quod expetit, vindicare non valeat; et a parte regia auri purissimi libras X. quohactus exsolvat; et sub anathemathe maranatha innodatus in exemplum impiissimi Neronis ab hominibus deiciatur. Christus Dominus, qui est capud tocius aecclesiae suae, et cunctorum vircrum in se credentium, dignetur respicere ad inquoacionem huius nostrae channonicae restaurationis, ut pro nostrae humilitatis obocdientia dignetur concaedere nobis bonam perseverantiam, ut simul grex cum pastore diu bene valeamus vivere, et post excessum saeculi huius conscendere valeamus regna beata poli. Qui autem adiutores, et tutores, vel deffensores huius sanctae institutionis extiterint, benedictionem, et retributionem a Domino mereantur habere. Facto hoc decreto channonicae restaurationis IIII. Id. Iunii, anno III. regnante Leuthario rege (1).

Wadamirus episcopus, qui hunc decretum restauravi, et coroboravi, et firmare rogavi ✝.

## V.

*Bulla Urbani papae II. in confirmationem canonicae Ausonensis, instauratae a D. Berengario eiusd. sedis episcopo, et archiep. Tarraconensi: anno MXCIX.* (V. pag. 44.)

*Nunc primum edita ex autogr. eiusd. eccl.*

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Ricardo priori, et eius fratribus in ec-

1 Aptissime praesens data respondet anno Christi et Indictioni in huius cartae exordio adnotatis, sive anni regni Lotarii a die 10. Sept. anni 954, quae Ludovico parenti exitialis fuit, supputentur; sive a 12. Novembris eiusdem anni cum in regem unctus et coronatus est; sive (quod Tabellionibus in usu fuit) ab initio anni 955. accipiantur, nullâ habitâ ratione anni praecedentis.

clesia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli apud Ausonam canonicam vitam professis, eorumque successoribus in eadem religione persistentibus, in perpetuum. Piae postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatinus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur vos, o filii in Christo karissimi, per divinam gratiam aspirati, mores vestros sub regularis vitae disciplinâ coërcere, et communiter, secundum Sanctorum Patrum institutionem, omnipotenti Domino deservire proposuistis, Nos votis vestris paterno congratulamur affectu. Unde etiam petitioni vestrae benignitate debitâ............... kanonice, ordinem, quem professi estis, praesentis privilegii auctoritate firmamus. Et ne cui post professionem exhibitam proprium quid habere, neve sine praepositi, vel congregationis licentia, de claustro discedere liceat, interdicimus; tam vos quam vestra omnia sedis apostolicae protectione munimus. Vobis itaque, vestrisque successoribus in eadem religione permansuris, ea omnia perpetuo possidenda sancimus, quae in praesentiarum pro communis victus sustentatione possidere videmini: videlicet, honorem capitiscolae cum decimis et alodiis universis, et cum omnibus sibi pertinentibus: mercatum cum toloneis, et rafigis, cum quintana, et cum ipso furno, et omnes domos, quas Guilielmus Raimundi clericus tenet, cum ortis, et ferragenale, et molendino. Item castellum Keri cum omnibus ad ipsum pertinentibus: et caetera universa, quae bonae memoriae Berengarius episcopus vestrae communiae tradidit, et scriptorum suorum indiciis, tam vivens, quam moriens, confirmavit. Universa praeterea Ausonensis ecclesiae, praebendas, et honores, seu dispensationes, quas hodie possidetis vos, qui auctore Deo, vitam canonicam ducitis, sive quas clericorum quidam obtinent, qui necdum pro-

priis abrenuntiarunt, communitatis vestrae usibus confirmamus, quocumque in tempore illas aperiri contegerit, et quaecumque detinetis concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium iuste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. Ad haec decernimus, ut defuncto ecclesiae vestrae episcopo, successoris electio in vestra potissimum, vestrorumque successorum, qui canonice vixerint, deliberatione persistat. Id ipsum etiam de universis ecclesiae, seu claustri vestri praepositis, sive dispensatoribus eligendis perpetuo observandum censemus. Si quis igitur in crastinum archiepiscopus, aut episcopus, imperator, aut rex, princeps, dux, comes, vicecomes, iudex, aut ecclesiastica quaelibet, saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in aeterno examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Ihesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, Amen. Scriptum per manum Petri notarii regionarii, et Scrinii Sacri Palatii. = Datum Romae apud beatum Petrum per manum Iohannis Sanctae Romanae ecclesiae diaconi cardinalis Kalendis Maii, Indictione VII. Anno Dominicae Incarnationis MXC.IX. Pontificatus autem domni Urbani secundi papae XII. = Bene Valete. = Locus sigilli. (Sanctus Petrus, Sanctus Paulus.) Urbanus papa II. legimus, firmavimus.

## VI.

*Testamentum sacramentale Ricardi sacristae Ausonensis, anno MC.* (V. pag. 53.)

*Ex autogr. in arch. eiusd. eccl. n.* 1553.

Sanctorum patrum constitutionibus, et mundanae legis probatissimis sanctionibus, quoniam decretum est de collatis ecclesiasticis rebus, ut in earum iure persistant aeternis firmitatibus; propterea nos testes sacerdos Arbertus, Bernardus, atque Raimundus, ultimae voluntatis Ricardi sacristae morientis verissimi cognitores ipsius testationis, ordinatione supterius adnotati iudicis, coram sacerdote et testibus testificamur iurando manibus propriis super altare Sanctae Mariae villae Leonis, nos vidisse et audisse quando et quomodo idem Ricardus longâ infirmitate detentus, mente tamen sanus, suam voluntatem scribere fecit, et tertii ordinis modo alligari praecepit, quia per se scribere omnino nequivit. Sed quia ab his, quibus hoc iniuncxit faciendum, videtur esse qualibet arte neglectum, illius legis ordinem non valentes vel nolentes sollempniter adimplere; nos ideo ne illorum calliditate vel impossibilitate ius depereat sanctae matris ecclesiae, sicut praecipitur in alia lege, scriptam voluntatem illius defuncti quomodo continetur in eius testatione veraciter hic facimus inserere legali auctoritate, qualiter ipse contulit sedis Sancti Petri ecclesiae victui eiusdem Kannonicae. Est autem ordo ipsius donationis et dimissionis tantus et talis de rebus supterius insertis. Dedit autem et dimissit Domino Deo et Sancto Petro omnem suum alodium, quod habebat in rivo Meritabiii, in cunctis locis in quibus ipse habebat vel habere debebat quibuscumque modis, eo or-

dine ut Berengarius frater eius, et Berengarius clericus nepos illius teneant et habeant ipsum alodium dum vixerint, et donent censum carnis kannonicae eiusdem sedis quod inde exit: caetera habeant ipsi aequaliter, et post eorum discessum sit eiusdem kannonicae solidum et libere alodium. Et dimissit Sancto Petro seniori suo duos libros optimos, in quibus sunt expositiones Marchi, Mathei, et Luchae, et unum collectaneum, et quatuor almocelias optimas ad servitium altaris, ut nullus homo daret eas, nec venderet, neque mitteret in alios usus; et quatuor kandelabra ferrea, et urceolum, et concham: et altari iam dicti Sancti Petri duo manutergia, quae stent in columnis; et ad cooperiendam crucem maiorem tantum argenti unde fieret cooperta usque ad finem sicut caeptum est. Et insuper eidem Sancto Petro et Sanctae Mariae Rivipollensis coenobii dimissit XIII. libras argenti, et Arnallo clerico eiusdem Sancti Petri clausum quod commutavit cum Raimundo Guiberti dimissit, et Martino clerico domos quas tenet Bernardus Gischafredi, et clausum cum eis, et tunicam suam meliorem, et birrum dimisit, et quartas III. vini. Domus autem eius, quas habebat in Vico, in quibus tunc habitabat, dimissit Berengario Petri cum ortis et arboribus, et medietatem ex suis vasis maioribus et capam meliorem et superpellitium, et unum lectum ex melioribus eius pannis, et sarracenam nomine Mariam, et omnes veteres pannos, et cuncta minora vascula, quae erant in supra dictis domibus; et altari eiusdem Sancti Nicholai omnia ferramenta sua dimissit. Ecclesiae autem Sancti Thomae, quam ipse cum fratre suo hedificaverat, dimissit omne alodium quod habebat et habere debebat in omnibus locis ex ea parte rivi Gurri, in qua ipsa ecclesia est, et ultra ipsum rivum domos, quas emerat de Geriberto Guillermi, et clausum, et in Artesso omne alodium quod habebat, medietatem in diebus

Bernardi Amalrici, et eidem Bernardo aliam medietatem, et post obitum Bernardi totum solide et libere sit ecclesiae iam dictae Sancti Thomae, et medietatem suorum vasorum maiorum dimissit eidem ecclesiae Sancti Thomae.

Haec est namque supra dicti Ricardi testatoris ultima voluntas de supra dictis rebus, quam nos sicut dictum est superius legaliter publicando, his conditionibus editis infra constitutum legibus ad plenum effectum perduximus, et nullâ fraude suppressimus, sed secundum voluntatem ipsius testatoris, iuxta praeceptum illius legis, in qua absolute praecipitur de voluntate scripta morientis ante sex menses, sicut dictum est superius, coram sacerdote et testibus, ut verius credatur ab omnibus, iurando confirmavimus, et testium ac iudicis signis et subscriptionibus confirmari fecimus infra tempus sepe dictum legibus, scilicet IIII. Kalendarum Aprilis anno XLI. regni regis Philipi. = Arbertus sacerdos. = Sig†num Raimundi Gerberti. = Sig†num Bernardi Petri, qui haec omnino perfecimus, sicut dictum est superius. = Sig†num Guillermi subdiaconi. = Bernardus sacerdos. = Guillermus † = Poncius † levita. = Iudex Guilelmus † hoc confirmo legibus. = Berengarius paraphonista hic adsunt sua scripta †. = Berengarius levita qui hoc scripsit † die et anno quo supra.

## VII.

*Receptio Tedmari levitae in canonicum ecclesiae Ausonensis ann. MXCI.* (V. pag. 60.)

*Ex autogr. in arch. eiusd. eccl.*

Sub sacro......... nomine. Ego Tedmarus levita Sancti Petri Sedis Vici atque canonicus, placuit animis meis, et placet nullius cogentis imperio,

nec suadentis ingenio, sed propria et spontanea hoc mihi bona elegit voluntas, ut cartam donationis fecissem Domino Deo, et Sancto Petro, eiusdemque scilicet canonicae, ex omni meo alodio quod habeo in cunctis locis. Est autem in comitatu Ausonae intra parrochiam Sancti Petri praedictae sedis....... aquae fluentis Gurrii, quod fuit de Guarino condam clerico, et de filiabus suis, et in alio loco de Socarratis petias III., et in Rochaforti petia I, et ultra flumen de Tezer petiam I. de trilia, quae fuit de Herimano pro incurrimento XL. solidorum monetae Vici argenti purissimi numismatis optimae, et de uxore sua et filiorum eius, sicut resonat in ipsa matricula quam mihi fecerunt. In alio autem loco nomine Savezellis, et in croso intra parrochiam Sancti Andreae de Tonna, concedo ipsi canonicae terras et vineas, quae fuerunt Raimundi Goltredi et nepotae eius duae, et in valle magna kasas cum vineis cum tertia parte de trilia et orto, qui advenit mihi pro paterna hereditate. Haec autem omnia advenerunt mihi de comparacione, quam et de genitoribus meis, sive per quamcumque vocem; et sicut de meo iure cum omnibus exitibus et egressibus suis et affrontationibus suis aeternaliter.......... et potentialiter concedo ipsi canonicae ad habendum, et tenendum sine interruptione ullius hominis vel foeminae....... ut in mea vita teneam omnia haec, et donem ipsam tascham ipsi canonicae. Post autem meum obitum liberum sit et proprium ipsius canonicae. Ego autem archipraesul Berengarius, cum assensu canonicorum omnium, propter pactum huius donationis, concedimus tibi Tedmaro levitae fideli nostro ipsam canonicam iure habendam et possidendam, sicut uni convenit ex nostris ad fruendum. Si quis autem contra hoc venerit pro irrumpendo, non valeat vendicare quod petierit, sed componat in duplo cum sua melioratione. Insuper etiam a Domino Deo et Sancto Petro apos-

tolo, qui habet potestatem ligandi atque solvendi, et domno archipontifici, et nobis omnibus canonicis excommunicatus permaneat, et biothenatus fiat, si aliquid ex hoc quod supra scriptum est templaverit infringere, vel infirmare. Actum est hoc V. Kalendas Aprilis, anno XXXI. Philippi regis. = Raimundus levita SS. = Benedictus sacerdos SS. = Guilabertus canonicus. = Berengarius gratiâ Dei electus archiepiscopus Terragonensis ✝. = Guillermus Guisadi. = Bonefilius Tedballus SS. = Berengarius Eriballi. = Ricardus sacrista. = Berengarius paraphonista. = Remundus Atoni. = Atamandus levita. = Raimundus Fulco levita subsc. = Amatus levita. = Petrus sac......... = Tedmarus levita, qui hanc cartam donationis fecit et scripsit et firmavit, et firmare rogavit.

## VIII.

*Institutio XII. Praepositurarum in ecclesia Ausonensi, anno MCLXXVI.* (V. pag. 63.)

*Ex arch. episc. Vicen.*

Pateat cunctorum notitiae, quod institutio ista ad utilitatem canonicae facta est a Petro Dei gratiâ Ausonensi episcopo, R. eiusdem sedis archidiacono, P. sacristâ, G. Primicherio, consilio et assensu totius capituli. Institutum est igitur publice, ut XII. praepositi habeant, et teneant, et servi........ omnibus diebus vitae suae sine omni fallimento XII. praeposituras XII. mensium secundum bonam et fidelem consuetudinem nostrae........ ita videlicet, ut nullus praepositorum pretendat occasionem aliquam grandinis, nebulae, vel cuiuscumque ten.......... aut fallimenti ad diminutionem servicii canonicae, nec possint dimittere praeposituras in vita sua....... ge-

rit eos proprietati renunciare, vel sanctum sepulcrum visitare. Si vero aliter quam dictum est, aliquis praeposituram vo......... mittere, prius servicio cum omni integritate facto, XX. moabetinos bonos capitulo persolvat, quos cum per...... vacanti habeat ipse, cui capitulum eam commendaverit secundum modum superius comprehensum, et denunciet........ cae se dimissurum inter Pascha et Penthecosten. Nomina autem praepositorum sunt haec: episcopi cum praepositura Martii........ Bachonis cum praepositura Aprilis, Raimundi de Avinione cum praepositura Maii, Petri de Tavertet, et Raimundi de Medaia cum praepositura Iunii, Bernardi de Tennis cum praepositura Iulii, Raimundi de Podiata cum praepositura Augusti, Berengarii de Salliforis cum praepositnra Septembris, Berengarii de Villanova cum praepositura Octobris, Raimundi de Villagelans cum pracpositura Novembris, Petri de Vivario cum praepositura Decembris, Guillermi primicherii cum pracpositura Ianuarii, Bertrandi de Castellari cum praepositura Februarii. Praedicti vero praepositi percipiant et habeant, et equis portionibus habeant, et dividant omnes aperturas et laxationes, tam in honore quam in pecunia, sive in aliis rebus, quas quibuscumque modis hodie habet vel habitura est canonica, salvis antiquis censibus cuicumque praeposituraе vel personae assignatis, et salvis defunctionibus huius villae, et totius parrochiae Sancti Petri Vici, quae maneant sicut constitutae sunt. Si qua autem persona canonicanda pecuniam certam in auro vel argento canonicae contulerit, arbitrio capituli reservetur ad honorem comparandum, et inter praepositos dividendum. Sit etiam licitum praepositis redimere honores, ubicumque fuerint pignori obligati, ad canonicam pertinentes. Constitutum est itaque in capitulo, ut nisi consensu praepositorum numerus canonicorum ultra XL. non augeatur. Praeterea statutum est, ut Pistor

cano........ et coquus, et portarius in capitulo iuramentum faciant ad fidelitatem conservandam toti capitulo et praepo........ in emendis necessariis, quam in dividendis. Convenerunt etiam et promisserunt praedicti praepositi in......... episcopi, et audientia totius capituli, in verbo veritatis et nomine iuramenti, quod sint in omnibus ad ca........ pertinentibus fideles et in bona pace, et sine omni contradictione faciant servicium canonicae prae........ tum. Si quis hoc dirumpere praesumpserit, agere non valeat, sed sicut superius expresum et ordinatum est, firmum......... neat omni tempore. Quod est factum Kalendis Aprilis anno XXXVIIII, regni regis Lodovici Iunioris. = Petrus Ausonensis episcopus subscribo. = Signum Guillermi Vicensis primicherii. = Raimundus de Medaia hoc firmo. = Signum Petri de Villanova ✝. = Sig✝num G. de Vivario. = Berengarius diaconus. = Bonus sacerdos. = Scriptis subscribens annuit Haimo libens ✝. = Arnallus subdiaconus. = .......... de Salliforis. = Iohannes Bachonis ✝ levita. = Bernardus sacerdos ✝. = ......... Petri de Tavartet sacriscrinii subscribo. = Raimundus praepositus. = ......... adest testis confirmans scripta fidelis ✝. = Raimundus sacerdos subscribo. = Bernardus de Villagranata firmo ✝. = Bernardus de Castellar ✝. = Bernardus clericus. = Sig✝num Petri de Rivo Petrarum. = ......... sacerdos qui hoc scripsit die et anno quo ✝ supra, cum litteris rasis et emendatis in II, III, et XIII.

## IX.

*Paraphrasis epistolae, quae in die S. Stephani Protomartyris vernaculo sermone in nonnullis ecclesiis Cataloniae populo legebatur.* (V. pag. 96.)

*Ex cod. epist. MS. sec. XIII. in eccl. Ageren. n.* 2563.

AQUEST ES LO PLANT DE SENT ESTEVE.

*Lectio actuum apostolorum.*

Esta liço que legirem,
dels fayts dels apostols la traurem:
lo dit Sent Luch recomptarem:
de Sent Esteve parlarem.
*In diebus illis.*
En aycel temps que Deus fo nat,
e fo de mort resucitat,
e pux al cel sen fo puyat,
Sent Esteve fo lapidat.

*Stephanus autem plenus gratiâ et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo.*

Auyats, Seyors, per qual rayso
lo lapidaren li felo,
car viron que Deus en el fo,
e feu miracles per son do.

*Surrexerunt autem quidam de synagoga, quae appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cicilia* (sic) *et Asia, disputantes cum Stephano.*

En contra el coren e van
li felo libertinian,
e li cruel cecilian,
els altres dalexandria.

*Et non poterant resistere sapientiae, et spiritui, qui loquebatur.*

Lo sant de Deu e la vertut
los mençonges a coneguts,
los pus savis a renduts muts,
los pochs els grans a tots vençuts.

*Audientes autem haec, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum.*

Cant an ausida sa rayso,
conegron tots que vencuts son,
dira los inflan los polbon,
les dens cruxen com a leon.

*Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in celum vidit gloriam Dei, et Iesum stantem a dextris virtutis Dei, et ait.*

Lo Sant conec sa volentat,
no vol son cors dome armat;
mas sus el cel a esgardat.
Auyats, Seyors, com a parlat.

*Ecce video coelos apertos, et filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.*

Escoltatme, nous sia greu:
la sus lo cel ubert vey eu,
e conec be lo fyl de Deu
que crucifigaren li Judeu.

*Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum.*

Per ço que a dit son tots irats
los fals Jueus, e an cridat:
prengamlo, que prou a parlat,
e gitemlo de la ciutat.

*Et eiicientes eum extra civitatem lapidabant.*

No si pot mays lerguyl celar:
lo Sant prenen per turmentar,
fors la ciutat lo van gitar,
e pensenlo dapedregar.

*Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.*

Depuys als peus dun bacalar
pausan los draps per miyls lancar:
Saul lapelonli primer,
Sent Paul cels qui vingron derer.

*Et lapidabant Stephanum invocantem, et dicentem.*

Cant lo Sant viu las pedras venir,
dolces li son, no volch fugir:
per son Seyor sofit martir,
e comencet axi a dir:

*Domine Ihesu, accipe spiritum meum.*

Seyer, ver Deus, qui fist lo mon,
e nos tragist dinfern pregon,
e puys nos dest lo teu sant nom,
reeb mon sperit..... a mon.

*Positis autem genibus clamavit voce magna, dicens.*

Apres son dit sadenoylet,
don a nos exemple donet;
car per sos enemichs preget,
e co que volc el acaptet.

*Domine, ne statuas illis hoc peccatum.*

O ver Deus, payre glorios,
quil fiyl donest a mort per nos,
est mal quem fan perdonal los,
no nayen pena ni dolor.

*Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.*

Cant est sermo el ac fenit,
el martiri fo aconplit,
recapta co ques volch ab Deu,
e puyesen al regne seu.

En lo qual nos dey acoylir
Jhus. qui volch per nos morir:
quens acompay ab los seus Sanç
e tots los fidels xpians.

Seyors, e dones, tuyt preguem
Sent Esteve, e reclamem,
quel nos vuyle recaptar
les animes puyam salvar. Amen.

# X.

## *Hymni in festo S. Iusti Conf.* (V. pag. 111.)

### *Ex brev. Vicen. edit.* 1557.

### *Ad Vesp.*

Psallere verum mira nos inducit
Vita saçrati inclytique Iusti;
Idcirco laudi assistamus omnes,
Carmine novo.
Totus in annis sacrae vitae suae
Datus obsequio Domini libenter,
Virtutum culmen attigit in gradu
Omni perfecto.
Debitum solvens universae carnis,
Iustus quis esset, noluit latere
Bonorum dator, insuper recoli
Voluit ipsum.
Ruit iam fortis paries deorsum,
Integer restat sub......
Custodit illum, pariterque servat
Iustus ab alto.
Vas in altari positum lucere,
Manet exterius illaesum, et infra
Mirantur turbae visum gestae rei,
Laudantes celsum.
Quis nostrum valet miranda proferre,
Quae nostro aevo fecit hic confessor,
Ossa exanima commovens reclusa
Duro sub saxo.
Pavent hinc pueri purum sentientes,
Convocant senes, sacerdotes nempe,
Qui voce clarâ nuntiant et ipsi
Idem audisse.
Gloria Deo, regi confessorum,
Patri ac nato, flaminique Sancto,

Qui fortem donat Iusto in custodem
In Vici turmis.

### *Ad Matutinum.*

Celsus in astris micat, et refulget
Iustus, et nimium excellit candorem,
Ac Phoebi lumen adaequari nequit
Splendori suo.
Aeternis turbis sociatus prosper,
Gaudet cum laetis, nesciens moerorem,
Partem non renuit tribuere nobis
Bonorum sui.
Moestorum voces recondens in sinu,
Suorum viscerum illico demonstrat,
Se fore ducem concionis nostrae,
Dignante celso.
Laus Deo patri condonetur omnis,
Verbo aeterno salus in inmensum,
Ac procedenti honor coaequalis
Praestetur semper. Amen.

## XI.

*Acta concilii Barcinonensis anno DCCCCVI. habiti, nunc denuo ad autographi fidem in arch. eccl. Ausonensis exacta.* (V. pag. 123.)

Annuente atque inspirante divinâ clementiâ, anno verbi incarnati DCCCC.VI. conventus pontificum reverendorum factus est aput nobilem civitatem Barchinonam, in quo affuerunt reverentissimus metropolita Arnustus, primae Narbonae civitatis antestis, pariterque Servus Dei, et Reinardus, nec non Aiquinus, et Nantigisus, seu aetiam Hidalcharius, et Teudericus sanctissimi praesules: eximius quoque princeps et marchio Wifredus: cum his omnibus aetiam abbatum et diversi ordinis clericorum maxima con-

globatio, et religiosorum laicorum inmodica caterva. His igitur omnibus in ecclesia Sanctae Crucis in unum congregatis, surrexit quidam in medio sanctae religionis episcopus Ausonensis ecclesiae, nomine Hidalcharius, proferens quaerimoniam suae aecclesiae, dicensque: Attendat, et consideret vestra reverenda paternitas, ó venerande archipraesul Arnuste, nec non et omnes, qui in hoc sacro concilio adestis. Cum priscis temporibus tota Hispania atque Gotia sacris insisteret erudictionibus, et vernaret clero atque fulgeret ecclesiis Christo dicatis, inter reliquas ipsa quoque Ausonensis ecclesia nobilis habebatur. Peccatis vero exigentibus illorum, qui tunc habitatores erant illarum terrarum, ut omnes nostis, barbarico gladio divino iuditio traditi sunt; ita ut ne aliquis christianorum in praedicto pago Ausonae remaneret. Post multorum autem annorum curricula misertus Dominus terrae illi, suscitavit in ea nobilissimum principem Wifredum, et fratres eius, qui ex diversis locis et gentibus homines pio amore colligentes, praelibatam ecclesiam cum suis finibus in pristinum instauraverunt statum. Cum autem adhuc in paucitate consisteret, donec dum talis esset, ut per se episcopum, sicut antiquitus, habere posset, adiit praedictus marchio reverendum Sigebodum episcopum et Narbonensem metropolitanum, ut iam fatam ecclesiam sub suo teneret regimine, et tam per se, quam per suos convicinos sufraganeos, illam ordinaret atque disponeret, donec favente Deo paulatim ad incrementum perveniret, qualiter in ea proprius episcopus iuxta antiquum morem consistere posset. Cum vero pietas superni numinis ipsam aeclesiam per iam dictum principem longe lateque dilatasset, et cuncti cernerent illam proprium debere episcopum habere, iam venerabilem Sigebodum divinâ vocatione ex ac luce subtractum, expetiit tam idem marchio, quam

omnis clerus et populus Ausonensis, reverendum Teodardum praelibatae Narbonae pontificem, ut sepe dictae aecclesiae Ausonensi proprium ordinaret episcopum. Qui unâ cum caeteris pontificibus dignis illorum peticionibus annuens, in pontificium eiusdem aeclesiae decessorem meum divinae memoriae Gotmarum sacrâ benedictione consecrare non distulit. Illis quoque uterque universae carnis viam carpentibus, eximio archipontifice Arnusto Narbonam Teodardo succedente, me quoque inmeritum Ausonensi per cleri et plebis electionem praefecit aecclesiae. Iniunctum est autem decessori meo a reverendo Teodardo, et mihi a praesenti metropolitano, ut aecclesiae Narbonensi, quae est in honore Sanctorum Martyrum Iusti et Pastoris sita, per singulos annos libram argenti persolveremus. Nunc itaque videat sanctissimus metropolita, et omnes reverentissimi, qui adestis, episcopi, et revolvat omnia volumina sanctae legis christianae, si equum est episcopum fiscalem esse, vel si cathedra episcopalis alicui aecclesiae tributum debeat solvere, nisi tantum, quod iura canonum resonant, humilem subiectionem, atque debitum honorem proprio defferre metropolitano. Diutissime autem illis de hoc tractantibus, et perspicientibus ratam episcopi quaerimoniam, tandem isdem respondit metropolita: De hoc quod strenua sagacitas dilecti confratris nostri Hidalcharii episcopi quaerelatur, iusta quidem nobis eius videtur quaerela; sed in hoc nos, acta quidem prioris decessoris nostri sequentes, inprovise atque inconsiderate aegimus. Ideoque quia quaerimonia eius recta nobis ac vobis videtur, differamus illud usque ad plenam synodum, et perfectum duodenarium numerum confratrum nostrorum, iuxta statuta sacrorum canonum; et tunc secundum divinam inspirationem, ex hoc, quod rectius est statuamus. Sequenti denique anno sancta synodus congregata est in caenobio

Sancti Tiberii territorii Agatensis, in quo iterum affuerunt reliqui episcopi, qui priori defuerant conventui; in qua iterum sinodo eadem quaestio a cunctis iterum ventilata est. Universi igitur, qui inibi residebant, Sancti Spiritus illustratione aflati, decernentes pariter decreverunt, non debere episcopum tributarium esse, neque cathedram episcopalem, quae domina et mater.... proprii cleri et plebis, alicui servitio mancipari, sed liberam esse ab omni iure fiscali. Placuit itaque omnibus, quorum nomina subter tenentur inserta, ut hoc decretum scripturae propriis roborarent manibus; et sub divinum anathema, atque aeternâ censurâ statuerunt, ne quis umquam successorum illorum sanctae Ausonensi aecclesiae inponeret, quod pia consideratione illis omnibus decernentibus ab ea funditus amputatum est. Igitur ego Arnustus gratiâ annuente supernâ exiguus Narbonensis episcopus, omnium confratrum nostrorum rectissimam ex hoc perspiciens definitionem, caedo atque per-dono tam eidem suprataxato Idalchario episcopo sanctae Ausonensis aecclesiae, quam omnibus successoribus suis, praedictum argenti librae censum, quod a decessore meo Domno Teodardo, vel a me inprovise impositum est, ut neque a me, neque ad successoribus meis ullo modo requiratur; sed liceat memorato episcopo, suisque successoribus immunes esse ab omni iure fiscali, sicut reliqui in nostram provintiam, vel ubicumque christiana religio pollet, sancti in omnibus videntur esse episcopi. Si quis vero, quod absit, temerario ausu contra hoc decretum, a nobis pio amore statutum, agere voluerit, sicut supra scriptum est, divino iuditio, et anathematis vinculo feriatur.

✝ Arnustus sanctae Narbonensis ecclesiae humilis episcopus hoc decretum roboravi. = ✝ Audgarius episcopus SS. = Gunteris episcopus SS. = Reginardus episcopus SS. = Gime-

ra episcopus SS. = Geirardus episcopus SS. = Riculfus episcopus consensi et subscripsi. = † Guigo sanctae Gerundensis ecclesiae SS. = Nantygisus sanctae Urgelitanae ecclesiae episcopus consensi et subscripsi. = Teudericus sanctae Barchinonensis aecclesiae episcopus consensi et subscripsi. = Sig † num Stephanus clericus, qui hunc decretum sanctae aecclesiae Ausonensis scripsit et subscripsit die et anno quo supra.

## XII.

*Testamentum Idalcarii episcopi Ausonensis circa annum DCCCCIX.* (V. pag. 124 sig.)

*Ex autogr. in arch. eiusd. eccl. n.* 528.

Dum uni venit, cum in hac versatur mortali carne, et aerumnosa atque caducam deducit vitam, ut mente purâ, totaque sollicitudine ad illam anhelare festinet, quae nullo termino coangustatur, nec fine concluditur; mihi quoque indigno Idelcherio Ausonensi episcopo, diu in infirmitate corporis laboranti, visum est trementer hac suspiriose criminum meorum facinora lacrimabiliter flere, et pro eo quod sint innumera, toto mentis affectu lugere; ut quia in nullo bonitatis meae exigunt merita, peto ut aeterni regis succurrat clementia. Nunc ergo de omnibus quae male gessi, et de bonis quae neglexi, propitio Deo me culpabilem reddo, et omnium iniquitatum mearum scelera profiteor, recolens illud salmographum: »Delictum meum cognitum tibi »feci, et iniustitiam meam non abscondi." Poenitet ergo me male egisse: tibi veniam peto, misericordissime Deus, »qui non vis mortem pec»catoris, sed ut convertatur, et vivat." Non enim repperis digna, ut iustificeris; sed si at-

tendis neglecta, magis invenis ut damnes. Meum itaque fuit, ó infelix ego! peccare; sed tuum est, o piissime redemptor! misericorditer dimittere. Et si pro meis reatibus dignus sum mortalem excipere poenam, tuâ tantum miseratione credo salvari, et vel ultimam in domo tua habere portionem. Pro tanta namque fascinorum pondera, et pro tremendo examine aeterni Iudicis, omnium facultatum mearum curam domino ac benignissimo principi Wifredo, atque religioso Nantigiso Urgelitane episcopo, meisque fidelissimis canonicis Audgario, et Adanagildo, scilicet, et Rodulfo committo, ut ipsi, quorum bonitas, hac pietas est inmensa, de hiis faciendo quae iubeo, et largiendo cui decerno, recomp....... tam sibi ad Domino in aeterna remuneratione consequantur mercedem. Relinquo namque, hac tribuendo concedo ad ecclesiam Sancti Petri Apostolorum principi, cui ego indignus praesse videor, missale........ (codi)cem I, lectionarium I. prophetarum I, passiones apostolorum quodicem I, actus apostolorum et epistolas Pauli quodicem I, canonem quodicem I, Smaragdum codicem unum, antifonarium unum, cassullam........ culi I, stolam cum auro, et manipulum, et cingulum, stolas siricas duas, manipulum I, alba I, palleos II, annulum aureum I, calices argenteos duos, unum cum gemmis, patenas duas argenteas........ gemis, calicem stagneum cum patena: turibulum argenteum I, aliud aereum, sandalia quatuor, urceolos........ cum aquamanile, et manutergeum: candelabra stagnea II, sedile cum ar.... ad cancellum I, ampullam stagneam I, quaterniones II, capsas duas argenteas, lampades septem stagneas, scrinios ferreos II, schella I, lectum coreum, tapetum et linteos duos: cotum I........ II, banchale polimito I, curtinam I, mapas I, tuvalia, iumenta III, boves II, porcos IIII, oves X, asinum I. Villarem quem comparavi de Adalbaldo praesbytero cum finibus suis in Tonda do..........

te, quam comparavi: Gerardo fideli meo iumentum falavum I, Walarando alium, Gomesindo alium, Savarico alium, Ingilchardo alium, Ingilberto pullum iumenti I, Audgario iumentum I, .......... alium, Sunicfredo alium, Gotmaro alium, Adegani alium. Equaliter ad monasterium S. Ioannis caballum tonsum cum freno et sella. Praesbyteris Ausonae caballum laurum aroendo. Haec igitur praecipio, et dispono vobis supra dictis, ut sicut superius resonat, summâ cum diligentiâ peragatis. Reliqua vero, annonam, vinum, utensilia domus, sicut in inventarium reperitur, tertiam partem ecclesiae, cui praesideo, tribuatur; duas vero propter remedium animae meae pauperibus erogentur. Facto testamento XV Kalendas Martii anno XI regnante Karulo rege.

† Idelherus misericordiâ Dei episcopus, qui hunc testamentum feci, et firmare rogavi, et subscripsi. = Nantygissus Sanctae Urgellitanae ecclesiae episcopus subscribo. = Audgarius archidiaconus subscribo. = Rodulfus levita subscribo. = Animius presbyter subsc. = Savilus praesbyter subsc. = Recaredus praesbyter subsc. = Girmundus diaconus subsc. = Addegaldus praesbyter subsc. = Audgarius levita, qui hanc testamentum scripsit sub die et anno quod supra.

## XIII.

*Acta electionis et confirmationis Georgii episcopi Ausonensis anno DCCCCXIV.* (V. pag. 129.)

*Ex autog. in arch. eiusd. eccl.*

Apostolica....... sa domus ecclesiasticae sollicitudo pontificali moderetur arbitrio. Quo circa noverit orth....... am divina vocatio Ausonensis pastoris domni videlicet Hideiherii spiritum pausare, ut credimus....... cum universa eiusdem

diocesis accesit cleri plebis et hordinis multitudo ante domnum Teodri....... ati viri Dei tumulatorem, orbataeque ecclesiae visitatorem, et uno animo parique consensu, absque si....... is, et domesticis simultatibus, a cathedrali clerico usque ad ruralem, a principe usque ad agricolam........ itione atque seditione; quasi unâ linguâ, vocaverunt, et petierunt, et acclamaverunt Georgium N....... um prudentem, sobrium, kastum, et secundum kanonica auctoritatem cunctis utilitatibus ecclesiae proficuum, strenuum, atque promptissimum, in vinea patris familias operarium indefessum, ad praeesse et prodesse....... patrem et episcopum subrogandum. Cumque hanc electionis unanimitatem subscriptionibus et signis, visitatoris...... instantiâ, tota unaniminiter ecclesia Vicensis corroboraret, praelegatus Teodricus praesul domno Vvigoni....... (Gerund)ensi antestiti, cum clero et maioribus viduatae parrochiae, et cum eodem acclamato Georgio, et acclama....... cuncta innotuit. Guigo igitur, cui maior oportunitas eundi et redeundi erat ad sedem sanctam Narbonensem,...... am metropolim talem vocem et unanimem subplicationem cum consilio domni Riculfi Helenensis episcopi, domno........ eginardo Biterrensi, et Teodrico Lutovensi praesulibus patefecit. Quorum iterum consultus fuit: quo si domni praesules Artmandus Tolosensis, Gimara Karcassensis, Gerardus Agatensis, Ucbertus Neumassensis, Gunterius Magalonensis, Adulfus Paleriensis assentirent, cum privilegio Narbonensis metropolitani....... videlicet Agii archiepiscopi, et magisterio et auctoritate Sanctorum martirum Iusti et Pastoris, et Beati Pauli confessoris, quorum principalis cathedra cum semetipsa XV. tam Septimaniae, quam Ispaniae or....... et cum consilio antiquorum patrum kanonumque praesulatu degentium, eundem Georgium expetitum ecclesiae prae....... et inibi insoliarent, et suo pon-

tificali participio cooperatorem consulemque frequenter dispone......... dentia sempiterna haec carta....... inconvulsa. Quod scribtum, ne esset kanonicae destrue....... archi-scribae, notariique kartam ei ipsius metropolitanae kathedrae dari, roborarique censuimus....... mationis, electionis et provectionis huius indago. Anno ab exordio saeculi quatermillessimo DCCC.mo LX.mo VI.to Verbi incarnati DCCCC.mo XIIII.mo Indictione II.da XV. Kalendas Iulii, domini quoque regis Karoli anno XVII. (post obitum) Odonis regis.

† .......... humilis episcopus. = † Reginardus episcopus. = † Gerardus Agatensis episcopus. = † Teodricus Lutovensis ecclesiae episcopus.

## XIV.

*Acta dedicationis ecclesiae S. Mariae de Moyá anno DCCCCXXXIX.* (V. pag. 133.)

*Ex transl. in ead. eccl.*

Anno incarnati Verbo, qui in principio apud Patrem Deus semper existit, DCCCCXXX nono, illustrante Spiritu Sancto, praeclarus domnus comes Suniarius et marchione inclitus, summâ cum reverentiâ divino cultui excercente per limitem rectam ad semitam vi applicat iustitiam. Vere namque salubris religio existit, ut in Dei amore quisquis compunctus animus boni operis aucmentum perficere sit conatus: ideo volumus ut non sit incognitum, sed a quibusdam patefactum, qualiter princeps comitis vel eius nobillimus prolus domnus Ermengaudus Ausonensis comitis unanimem divina tractantes misteria, ad praesentiam domni Georgii Ausonensis ecclesiae praesuli pervenerunt, poscentes humiliter eius clementiam, ut in praedicto comitatu, ab eorum deprecationem, dedicasset ecclesiam Sancta Maria no-

mine, qui est sita in pago Modeliano. Pontifex egregius ad eorum petitionem clementer accomodavit aurem: ex eadem basilica libuit facere consecratam ecclesiam: precibus dignis consortem sibi expetivit domnum Guillaranem Barchinonensis ecclesiae dignissimum pontificem, ut ad dedicationem eiusdem baselicae venire non dedignasset, sed tantum pro summa reverentia iubamina ei ferre procurasset. Venerandus pontifex arcessitus ad diem dedicationis occurrit, sub rogationem praenominatum praesulem, vel supra taxatos comites, ecclesiam in honorem Dei et Sancta Maria Genitricis consecravit. Incliti comites coelesti dono largitate fulciti, comperientes non licere vacuam dedicare ecclesiam, sed dotatam, et ex rebus propriis consecratoris ditatam; ideo ex aquisitis facultatibus, in dedicationis diem, ad sanctum altarem, aliquid ex eorum proprietatem offerre decreverunt, sicuti et faciunt. Donamus namque vel offerendo tradimus ad diem dedicationis praelibatam ecclesiam, nos pariter Suniarius, et Ermengaudus, gratiâ Dei comites, propter amorem Dei et remedium animarum nostrarum, in eodem termino, in locum quem dicunt pratum de Ademare, pariliata una de terra et amplius. Est vicina de parte orientis in terra Donone vel Eldegarda, et de meridie in terra Donnone vel haeredes suos, de occiduo in terra Eldegarda, de circi in terra Donnone, vel Eldegardas sive haeredes illorum. Et in eius termino donamus vinea, qui est ad ipsam rovoriam: afrontat de orientis in vinea Addanagilde, de meridie iungit in terra Recosindo, de occiduo inlaterat in vinia Eldemare, de circi similiter. Et in alio loco donamus ibidem vinea, qui est ad speluncam Guandalmate, de orientis adherit se in Roca, de meridie in vinea Richario, vel Adovardo, de occiduo in terra herma, de cirzi in terra Salomonem, vel de Gontario. Insuper autem concedo ego Suniarius, atque inconvulsibi-

liter perenniter ad proprium praedicta ecclesia manere, vel propriis ministris ibidem Deo servientibus habere iubeo terras, quas pater meus Guifredi quondam comes ibidem donando tradidit. Sunt vicinas de orientis de torrentem, qui ducit aquam, de meridie in rio de Avellanas, de occiduo in terra de me Suniario, sive in ipsa fonte, de circi vero affrontat in strata publica. Et ego Sanciolus dono ibidem ad diem dedicationis casullam I, stola I, manipulum I, alba I, calicem argenteum I, cum patenam, missalem I, lectionarium I, antifonarium I, actus apostolorum I, quadragenario I. Haec omnia offerimus ad eius diem dedicationis Deo, vel memorata ecclesia, seu praedictos praesules, sive ad eius ministros, ut secundum sanctionem patrum, vel instituta canonum, quolibet modo voluerint obtineri, dispensari, in eorum maneat potestati.

Et ego Georgius, ea videlicet ratione, iubeo ad praedictum pontificem consecrari hanc ecclesiam, in honore Sancta Maria fundatam, et ibidem addo parrochiam Modeliano cum ecclesias in eius terminos sitas, vocitatas Sancti Felicis, et Sancti Petri, et Sancta Columba, et Sancti Andreae, vel Sancti Ledugarii, et ecclesia in castrum Marphani cum villis, vel villariunculis, decimis et primiciis, atque oblationibus illarum, quantum rectius ibidem videtur pertinere, ut per singulos annos, sacerdotes vel ministri ecclesiae, more canonica, bis in anno concilia celèbrare indesinenter expediant, sive et ad chrismale mysterium secundum decreta sanctorum patrum occurrere non diferant, reditos canonice consuetos adimplere non omittant. Et si episcopus confirmationem, vel aliarum utilitatum per parochiam exercere voluerit, obedientiam in omnibus tam iste presens levita Sanciolus, qui hodie retinet ecclesiam, quam succesores eius, paratissime procurent. Qui vero, quod non obtamus, hanc dotem irrationabiliter tentare

voluerit, hoc quod repetit, non valeat vendicare, sed vinculato bannum regis componat auri libras X. Et si ausu temerario facultates ecclesiae pervaserit in aliquo, restituat quadruplum. Acta sunt enim haec indictione XII, anno IIII regnante Ludovico rege, die decimo Kalendarum Septembrium.

## XV.

*Inventarium ecclesiae Ausonensis, factum ab Wilara episcopo Barcinonensi statim post mortem Wadamiri Ausonens. episcopi, anno Dñi DCCCCLVII.* (V. pag. 145.)

*Ex autogr. in arch. eccl. Auson.*

Anno III regnante Leutario rege, sub die XVIII Kl. Iulii, sic obiit Wadamirus Ausonensis episcopus Sedis Vicho. Aderat enim ibi domno Wilara Barchinonensis episcopus, qui eum venerat ad visitandum, et tumulavit eum simul cum channonicis de ipsius ecclesiae Sancti Petri. Quo facto cepit inquirere ipsum avere de ipsa ecclesia vocitata. Et invenit ibi cruces argenteas II, et una de auro cum gemmis, et testo I, et archa I, et capsas V, chalicem aureum I, et argenteos III, et tabula I, incensarios II, sifon I, botharigo aureum I, balcos II, perpendulos IIII in chapis, chamisos paratos II, casullas IIII, greteschas (vel grezeschas) amictus cum auro IIII, stolas cum schillis II, cum phanones, et alias IIII cum auro, et phanones suscintas cum auro V, stola una cum argento et suo phanone, capas greteschas (vel grezeschas) V, curcibaldos greteschos IIII, et unum de purpura, et alium de cendato, et de pallio VII, et gonna I, dalmaticas IIII, planedas II, una vermilia, et alia biava, et pallias II, et chamisos linios XVIII, et

unum de alchotono, et facistergulos XXII, et pallios greteschos IIII, et alios pallios XXVI, metraphos VI, et trapos polemitos IIII, tapitos veteres III, phanones III, suscintas obradas III, stolas III, obradas cum fanones, et alia cum argento, et suo phanone, corporales V, amictos II lineos, et de challigas parilios III, preceptos III, privilegios I, ampulla I cum balsamo, eptatiquos II, degada I, prophetarum unum, dispositos III, quarantenos III, Salomon I, hactus apostolorum I, Iob I, passionarios II, regum I, channones III, anthimphonarios IIII, martirlegium I, Isidorum I, vita channonicha I, pastorale I, Machabeorum I, lectionarios III, missales IIII, vitas patrum I, testum I, psalterios V, et alios libros IIII, breviario I, gisternos (f. quaternos) cum letania, et duos de dedicatione, guantos parilio I, scrinio ivorio I, chandelabros VI, scutellas de erame II, urceolos III, channadas cum chopertorios de stagno III, chaldeira I eramentea, bacinos parilio I, et alio cum manicho de botaricho I de stagno.

## XVI.

*Acta consecrationis ecclesiae S. Bartholomei de Lazesses in comitatu Ausonensi, anno Domini DCCCCLXI* (V. pag. 154.)

*Ex transl. in arch. reg. Barcin.*

In nomine Domini Dei aeterni sub die X. Kalendas Madii anni Incarnationis Domini DCCCCLXI. Indictione XVI[illegible] [1]. Veniens vir reverentissi-

1 Multa heic peccasse excribentem fatemur. Nec enim Indictionum series ultra XV. numerum excurrit; nec annus VI. Lotarii, qui in calce indicatur, anno 961 respondet, sed 960. Lector quod magis placeat sibi eligat. Nos annum dominicae Incarnationis retinuimus in carta expressum 961, cui annum VII. Lotarii, Indictionemque IV. adscribenda esse certo certius est.

mus domnus Ato sanctae Ausonensis ecclesiae humilis episcopus ad consecrandam ecclesiae, quae est sita in comittatum Ausona, in locum, que nuncupant Kastro Lazesse, et est ipsa ecclesia in honore Sancti Bartolomei apostoli, quem hedificavit domna Ranlo misericordiâ Dei abbatissa. Cunctorum fidelium devotioni congruit, ut ad coelestem patriam toto desiderio anelent, quatenus sanctis monitis inhaerendo, coelestium bonorum potiantur effectibus. Hunc igitur secuti sunt morem ab exordio sanctae ecclesiae omnes religiosae, sanctique viri, qui in ipsa ecclesiastica edocati, piis operibus insudare, et ipsa ecclesia enutrire, et augmentare satagerunt. Horum itaque formam sequentes, oportet nos itaque coelestia inspicere, ut ad caduca respuentes, ad sublimia manentia toto adnisum tendere valeamus. Denique in Dei nomine, ego Ranlo abbatissa dono ad ipsa ecclesia supra scripta in honore Sancti Bartolomei supra scripta de ministerio ecclesiastico alba, casulla, stola, manipulo. Et ego in Dei nomine Ranlo abbatissa ad diem dedicationis de supra scripta ecclesiae haec omnia dono quod superius resonat ad praelibata ecclesiae a perpetim possesura, ut amodo et deinceps ad ipsum locum vel ministris ibidem servientibus, ad aucmentum et subplementum proficiant. Qua propter et ego Ato gratiâ Dei Ausonensis episcopus, tantam devotionem nobilissimam Ranlo abbatissam, concedo ad ipsa ecclesia supra scripta Sancti Bartolomei apostoli decimas, et primitias, et oblationes fidelium. In primis de ipsa villa Lazesse, ubi iam dicta ecclesia sita est, cum terminis et aiacenciis, et provencha, cum terminis et aiacenciis suis, et casas Langovardo cum aliis vilarunculis, et castello Palumi cum terminis et aiacenciis suis, et Cheroalto cum terminis et aiacenciis suis, et vilarunculis, quae dicunt Amessados, cum terminis et aiacenciis suis, et ipsa Spungola cum

terminis et aiacenciis suis. Iam dictas villas supra nomine nominatas habent affrontationes de parte orientis in Malango, vel in ipsa Calnulga, et pervenit ad ipso collo de Melcingolo, et de meridie in ipsa Serra de Beviru, et de occiduo in rivo Valle faecunda, et de circio in Serra de castello Palvini. Hacc autem omnia supra scripta ego Ato humilis episcopus sanctae Ausonensis ecclesiae ibidem dono decimas, et primitias, et oblationes fidelium ad ecclesiae supra scripta; constituens atque episcopali censurâ, ut nulli in postmodum hoc nostrum dotis decretum ullatenus violari liceat, sed inconvulsam omni tempore et inviolabilem permaneat in subdicione Sancti Iohannis caenobii. Degesta est autem haec scriptura dotis X. Kalendas Madii anno VI. regnante Leutario rege filio Ludovici.

✝ Ato sanctae sedis Ausonensis humilis episcopus subscribo. = Suniarius hac si merito indignus sacerdos subscribo. = Brunchardus, quem vocant Gufredo, humilis sacerdos subscribo. = Elderigus levita subscribo. = Ato sacerdos subscribo. = Amalricus levita subscribo. = Argimirus subscribo. = Embremares praesbyter subscribo. = Gondebertus levita subscribo. = Durandus praesbyter, qui hanc dote scripsi et subscripsi ✝ die et anno quod supra.

## XVII.

*Ioannis XIII. Rom. pontificis Litterae, ecclesiam Gerundensem Attoni Ausonensi episcopo et Tarraconensi metropolitae subiicientis, anno DCCCCLXXI.* (*V. pag. 155.*)

*Ex arch. episc. Vicensis.*

Ioannes episcopus, servus servorum Dei, dulcissimis filiis Suniario episcopo, et Gaucefredo

comiti genitori eius, et cunctae plebi, atque archidiacono et caeteris canonicis sanctae Gerundensis ecclesiae, in Domino salutem. Nec vos latere volumus, quod Tarraconensem ecclesiam, episcopalem olim sedem, quae ob barbarorum incursum plebe defecit, ecclesiae Ausonensi, nostrae apostolicae sedis auctoritate univimus, et in ea archiepiscopalem sedem constituimus, in qua archipraesul Atto ordinatus, palleo a Romana sede accepto, episcopos quondam Tarraconensi ecclesiae subiectos sibi nunc subditos habeat, et in eis sedibus, quae olim eidem ecclesiae subiectae fuerunt, episcopos ordinet; et quod eum ad hoc agendum idoneum reperimus, nostrae auctoritatis praecepto eiusdem Gerundensis vestrae ecclesiae provisorem concedimus et ordinamus, et vos ita ei subiectos, sicut filios patri, esse et optemperare volumus et optamus. Scriptum per manum Georgii notarii et scrinarii S. R. ecclesiae, in mense Ianuario, Indictione XIV.

## XVIII.

*Eiusd. Ioannis Litterae Ausonensi archiepiscopo. Attoni pallii usum elargientis, anno DCCCCLXXI* (V. pag. 155.)

*Ex arch. eccl. Vicen.*

Iohannes episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nostro Attoni archiepiscopo Ausonensis ecclesiae, apostolicam benedictionem, et perpetuam in XPO. salutem. Si pastores ovium solem, geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et ne qua ex eis, aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore, quantâque cura debemus

semper esse pervigiles nos, qui pastores animarum dicimur. Attendamus, et susceptum officium exhibere erga custodiam dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis, pro desidia nostra, ante summum pastorem, negligentiae reatus excruciet, unde modo honoris reverentiâ sublimiores inter caeteros iudicamur. Palleum autem fraternitati tuae ex more ad missarum solemnia celebranda damus, quo tibi, ecclesiae tuae privilegiis amodo in suo statu manentibus, uti concedimus, sicuti archiepiscopatus ordinis eis usos esse incognitum non habes. Cuius quoniam indumenti honor modestâ actuum vivacitate servandus est, hortamur ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatinus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula. In ipsa, siqua tortitudo illis iniecta est, dirigantur. In ea, quod imitentur, aspiciant. In ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum post Deum videatur esse bene quod vixerint. Cor ergo neque prospera, quae temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa deiiciant, sed quidquid illud fuerit, virtute patientiae devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus inveniant. Districtum mali cognoscant, insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset, remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas. Sit in te, et boni pastoris dulcedo, sit et iudicis severa districtio: unum scilicet quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos feriendos a pravitate compescat. Sed quoniam nonnumquam praepositorum zelus, dum districtus malorum vult vindex existere, transit in crudelitatem correptio, iram iudicio refraena, et censurâ disciplinae sic utere, ut et culpas ferias, et a dilectione personarum, quas corrigis, non recedas. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus

exhibe: oppressis defensio tua subveniat: opprimentibus modesta erectio contradicat. Nullius faciem contra iustitiam accipias, nullum quaerentem iusta despicias, custodia in te aequitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud vos extra viam suadeat rationis audire, nec pauperem de sua faciat humilitate desperare: quatinus Dèo miserante talis possis existere, qualem sacra lectio praecipit, dicens: Oportet episcopum irreprehensibilem esse. Sed his omnibus uti salubriter poteris, si magistram charitatem habueris, quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, frater charissime, inter multa alia, ista sunt sacerdotii, ista sunt pallei, quae si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habes. Etenim decernimus ut in Nativitate Domini, Epiphania, Dominica S. Paschae, Ascensione Domini, et Pentecostes, Natale Apostolorum, in Nativitate, et Assumptione S. Mariae, in consecratione episcoporum, seu in solemnitate ipsius ecclesiae, cui praeesse dinosceris. Fides autem, quam in tuis epistolis breviter ascripsisti, licet latius explanare debueris, Redemptori tamen nostro gratias agimus, quod eam, in ipsa etiam brevitate, rectam esse cognovimus. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiâ suae protectionis circumdet, atque ita in timoris sui via nos dirigat, ut post vitae huius amaritudinem ad aeternam simul pervenire dulcedinem mereamur. Scriptum per manum Georgii notarii et scrinarii S. Romanae ecclesiae in mense Ianuario, Indictione quartadecima. † Bene valete. Loco † sigilli.

## XIX.

*Bulla Benedicti papae VII. in favorem Fruiani episcopi Ausonensis, data post annum DCCCCLXXVII.* (V. pag. 157.)

*Ex arch. eccl. Ausonen.*

Benedictus episcopus, servus servorum Dei. Notum esse volumus omnibus maioribus, et minoribus totius provintiae Ausoniae et Barkinoniae, atque Gerundense, sive Urdilitense, vel quicumque huic provinciae constituti esse cernuntur, de hunc episcopum Fruia nomine; quia venit ad limina apostolorum, et sedis nostrae, accessit ante nostram praesentiam. Ostendit nobis omnibus suis scripturis, quas seriem acquisivit sui episcopatui, et omnibus qui sibi subiecti esse noscuntur. Ita privilegium nobis postulavit; quod et nobis libenti animo ei confirmavimus, sicut in ipso privilegio reperitur. Quapropter rogamus, et nostrâ apostolicâ auctoritate praecipimus, ut nullus homo, exceptis Burello comite, suo solo corpore, et uxori suae Letgardis, et legitimo filio eius Raimundo, si praesumpserit aliquam invasionem, vel contra praedictum episcopum calcaneum erexerit, cuiuscumque ordinis vel sexus, sivè clericus, sive laycus, sit excommunicatus, et a regno Dei separatus, atque in ignem eternum, tartareosque chaus demersum, et cum Iuda traditore Domini nostri Ihesu Christi sciat se esse dampnatus, et perhennem incendium concrematum. Insuper omnes maledictiones novi veterisque Testamenti in eis mergatur. At vero qui per omnia observator et custus utiliores extiterint, benedictionis gratiam a iusto iudice Domino Deo nostro consequi mereatur. Interea praecando dirigimus

nostrum karissimum et spiritualem filium et confratrem Ermengaus, venerabilem archiepiscopum Narbonensem, ut hanc nostram epistolam dum ad eum venerit, manu suâ eam confirmet, et in omnibus adiuvet, ubicumque praedicto episcopo Fruiae necesse fuerit, ipse una cum omnibus episcopis sufraganeis, et illis similiter confirment.

† Ego Ermengaudus, Narbonae metropoleos Dei gratiâ praesul, edicto patroni subscribens, anatematis lorum tentantibus invadere res ecclesiae Ausonensis Fruiani antistitis, nulli nisi satisfactioni solvendum, pretendo. = † Ego Adalongus gratiâ Dei sanctae Luchanae ecclesiae humilis episcopus, huic apostolicae epistolae assensum prebens, benedictione dignum censeo adiutorem huius nostri coepiscopi Frugiae. Illi vero, qui eum molestare temptaverit, nodum anathematis ingero.

## XX.

*Iudicium latum in favorem monasterii Rivipullensis ab episcopis et nobilibus viris congregatis in ecclesia Ausonensi anno MII.* (V. pag. 165.)

*Ex cartor. monast. Montiserrati fol. 65 b.*

Notitia quod nulli lateat, sed omnibus manifestum fiat, qualiter venit Singfredus abba cenobii Rivipollent. in comitatu Ausona, in Sede Vico, in Eccla. B. Petri apostoli vertex, ante nobilem inclitumque marchionem domnum Raimundum principem, simulque ante venustissimam uxorem eius magnificeque nominandam Ermisindam comitissam, nec non etiam germanitatis et honorificencie altitudinis titulo prefulgens domnus Ermengaudus comes, qui ibi aderat presidens, equaleque regimen pollens, sive etiam satrapum multitudo, ac religiosorum episcoporum coadu-

natio domni almifici Ermengaudi archipraesulis Narbonensis, et venerandus, ac in omni studio philosophie plenissime eruditus domnus Arnulfus pontifex prefate sedis, et egregio canicieque senio decorato domno etiam Sanlane presule, atque inlustrissimo magno patre Barchinone dono Eizo antistite, cum multorum clericorum coadunatorum caterva maiorum seniorum cohors ibi congregata, idest, Raimundus vicecomes, et Udalardus vicecomes cum fratre suo Gerberta (sic), ac Bonutio vel Gaufredo, ach Guisado, seu Sendreno, et Guifredo, et Sinfredo et Olibano &c...... ante istorum omnium presentia fecit prefatus abba querelata de alaude S. Mariae que dicunt castrum Camba cum terminis &c....... que magne memorie Acfredus condam donavit ad domum S. Mariae predicti cenobii in vita sua, ac tradidit per scripturam legitimam cum emtionis anteriorem unde eum emerat de seniore suo bone memorie Mironi comitis &c. (Fue adjudicada esta heredad al monasterio).

Acta sunt hec nonis Iulii, anno VII regnante Rotberto rege. = (Siguen las subscripciones.)

## XXI.

*Litterae formatae, ab Ermengaudo Narbonensi archiepiscopo traditae Arnulfo episcopo Ausonensi, anno Domini MV.* (V. pag. 167.)

*Ex arch. eccl. Ausonen.*

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| A † Ω | LXXX. Π | CCC. T | I. A | LXXX. Π | I. A | VIII. H | CCC. T |

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| VIII. C | CC. C : | ANNI DÑI. ϛ V | INDIC. III. | XC. ϟ | VIIII. Θ |

Patri inexhaustâ claritudine pollenti, nobisque sollemni caritatis glutino coherenti, apostolatus

apice digniter sublimato, cathedre Romane regenti vocitato Iohanni, qui gratia Domini dicitur, Ermegaudus perhumilis almi Narbonensi throni supere beatitudinis munere oppilio, quicquid est actualiter decencius, quicquid speculative felicius. Igitur si prosperrimis fortuniorum copiis valetis, inmensas cunctorum opifici agimus gratias, quoniam ita est ut devotissime ac si pro nobis continuatis precibus inolescere cupimus. Nos quoque in sospitatis statu, licet inter varias seculi huius procellas animus titubet, fore paternitati vestre fidelissimos indagamus; ante omnia supiicantes iuxta dominicam et apostolicam institucionem, tam vestris sacris sedulisque precibus, quam vestrorum oracionibus nos gregemque nobis comissum altissimo dignemini comendare; quia identidem et nostris propriis, et comissorum votis nos vobis gregique vobis deposito alternatâ vicissitudine pro viribus recompensabimus. Intimamus etiam vestre sagacitati hunc pontificem Ausonensem nomine Arnulfum, nostre diocesi natum, renatum in Xpo, confirmatum, tonsuratum, gradatim ordinatum, meisque manibus episccpum factum, et in prefatam sedem intronizatum. Agnovimus namque illius voluntatem peregre ac sepulcrum dominicum invisere, atque trans pontum transmeare. Convocavimus unâ pontifices omnes nostre diocesi, et afati sumus de hoc quid agendum sit. Scimus namque quod sacri proibent kannones, ut episcopus nequaquam absens sit amplius ebdomadibus tribus a sede propria; set mos inolevit in sancta aecclesia, ut pontifices pergerent usque ad Sanctorum Petri et Pauli apostolorum limina invisenda. Ac per hoc petivit nobis, ut ei transitum, relicto in loco suo visitatorem sue aecclesie, qui eam visited ac regat, usque dum ipse Domino annuente redire mereatur, concedamus. Nos quoque adquievimus peticionibus eius, et sciatis quia nostra est voluntas, licencia, atque consensio. Et ut a reverentissimo vestre generosita-

tis cultu cercius firmiusque credatur, ne aliqua falsitatis fraus in hac epistola, quam mos latinus a Niceno sinodo exordium trahens, formatam nuncupat, quoquomodo suspicetur, Grecorum quoque caracteres cum suputacionibus eorum supra, infra, subtusque cauteriatim ingessimus. Primum Patris, et Filii, et Spiritus Sancti prima greca elementa posuimus Π.LXXX. ΥCCCC. A.I. que octogenarium quadringentesimum et primum significant numerum. Petri quoque principis apostolorum prima Π.LXXX que numerum pandit oc-

VIII.

togenarium. Nostrae exiguitatis primam H. quâ octavus exprimitur numerus. Siquidem vestre magnitudinis secundam O.LXX que septuaginta calculantur. Civitatis quoque nostre terciam, idest P. C., que numerum subputat centesimum. Vestre

VIII.

quoque nominate urbis quartam H. que octavum explicat numerum. Addidimus equidem nominis pre-

XXX

fati Arnulfi ex nominativo quintam Λ quo trigesimus enucleatur numerus. Placuit inter ea annorum verbi incarnati volubilem assigniri seriem, qui fuerunt anno presulatus eiusdem DCCCC V cum Indic. VIII. Libuit hec inter nihilhominus interseri, ob censuram Africani concilii sive cannonis, terminum sacratissimi pasche, qui venturus est IIII Kal. Aprilis, feria V, luna XIIII, ipsumque ressurecionis pascalis diem, qui eodem anno metatus est Kal. Aprilis, luna XVII. Histandem pro exagillo idiomatis formatici annecti-

XC VIIII

tur nonagesimus nonus calculus per Ϙ et Θ expresus, et per tetragramata iusiurandum Domi-

I XL VIII L

ni A )-( H )- eodem numero subnotatum agnoscitur. Nunc igitur prioris linee apices cum suis numeris subnotatis in unum collectum sumatim

ad roboracionem tocius formate, Aticum Constantinopolitanum episcopum primum huius epistole iussu Niceno auctorem imitantes, calculum expressimus.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| ·†· | LXXX<br>II | CCCC<br>Υ | I<br>A | LXXX<br>II | I<br>A | VIII<br>H |

| | | | |
|---|---|---|---|
| CC<br>C | ANNI DÑI.<br>M V | INDIC.<br>III. | XC<br>ϥ ϴ |

Ermengaudus archipresul.

Est autem suma huius numeri ĪI.C.XII.

Edita formata VIII iduum Martiarum anno domni regis Rodberti decimo.

## XXII.

*Testamentum Arnulfi Ausonen. episc.* (V. pag. 168.)

*Ex autogr. in arch. eiusd. eccl. nn.* 813 *et* 1335.

In Dei nomine Omnipotentis, dum iaceo Arnulphus indignus peccator et episcopus in kastro Quolonicha, infirmus et placatus, confido in Dei Omnipotentis misericordia, qui subvenit in periculis laborantibus, et mihi peccatori semper misertus est, spero in eius misericordia, ut subveniat mihi peccatori. Credo tamen quia mortem me traditurum, haec ubi constituta est domus omnis viventis, et credo quia resuscitavit me in novissimo die. Praecor tamen ut cum helectis resuscitet me cum ovibus suis a dextris, non cum haedis a sinistris, hoc non meis meritis, sed confisus in eius misericordia. Hicircho precipio de hoc quod Deus mihi dedit in commitatum Urgelo. Eligo ut tutores vel elemosinarios, idest, Sala de Mata Morgone, et Ermemirus, et

Unifredo, et Guadaldo Sancti Mathei, qui distribuant omnem meum habere quod abeo in Cardona vel in Deriana (f. Cleriana) idest meum mobile, si de ista egritudine mortuus fuero. In primis ad caenobium Sanctae Mariae ad Serra de Texo, viginti modios inter pane et vino, et duodecim modios ad servientes de Sancto Vincentio de Cardona. Aliud, si fieri potest, stabiliscant mihi triginta trentanarios ad XXX. praesbyteros inter pane et vino; quod vero remanet in pauperibus, et captivis, et egenis inservientibus, cui debitor sum. Et ipsum meum mobile, quod habeo in Artesse, pane et vino, donare....... ad Sancto Benedicto caenobio modios X., et aliut quod remanet ad praesbyteros pro trentanario, vel ad debitores, qui ego debitor sum per directum. Et ipsum meum alaude, quem abeo in Soskada, quod emi de Regimundo....... comite, remaneat a Sancto Felice Ierunda, in tale convenium, ut non donent amplius ipsos omines nisi ipsa tascha et ipsas pernas qui ibidem exire debent per directum. Et ipsum castrum de Lanaria, simul cum ipsas turres, et ipsos muros, simul cum ipsum edificium, quod ibidem est, cum ipsa parrochia, sive cum terminis vel suis aiacenciis, omnia vel in omnibus, quantum ibi abeo, vel abere debeo pro quacumque voces. liberum remaneat a Domino Deo et ad Sancto Petro Sedis Vicho vel ad ipsa kannonika, sic dono et sic trado in eius potestate. Et ipsa medietate de kastro Colonico cum terminis suis vel aiacentiis suis remaneat ad nepotes meos filios fratri meo Raymundo vicecomite........ Et ipsum meum alaudem, quem abeo in Barchinona, remaneat ad Sancto Petro Sedis Vicco ad ipsa kanonika. Et ipsum meum alaudem, quem abeo in Ausona in valle Oriola, remanead ad Sancta Maria Riepullo caenobii. Et ipsas meas hereditates, quem abeo in Cardona et in Deriana (Cleriana) vel in Ausona, in omnique locco, remaneat ad

ipsa kannonica sede Sancti Petri Ausonensis. Et in alios loccos volo ut sint elemosinarii mei Radulphus archilevita, et Seniofredus, et Ermemiro, et Borrellus kannonici Sancti Petri. De ipsum meum blado, quae abeo in Artesse, sicut in Osona, vel in Montebiu, vel in castrum Taliato, sive in Ausona: et ipsos porchos, quem abeo in omnique locco, ad ipsa kannonica. Et ipsas meas....... quae ego dedi ad ipsa kannonika, volo ut ibi remaneant. Praecor vos iam dicti elemosinarii mei, ut ipsum meum abere, quod superius resonat, dare faciatis pro animam per missas ad sacerdotes, captivis, pauperibus vel debitoribus, ad cuius debitor sum per directum.

Randulfus archilevita ✝. = Sig✝num Wilielmo. = Sig✝num Petro. = Haec omnia ordinavit Arnulfus episcopus quando fuit reversus de Cordova, in sua memoria, IIII. Kalendas Agustas anno IIIIX. regnante Radebertus rex. = Sig✝num Sunigildo. = Sig✝num Seniofredus. = Sig✝num Wifredus. = ✝ Arnulfus indignus episcopus, qui hunc testamentum fieri iussit et firmare rogavit. = Hoc vero quod superius rasum vel emendatum est, propter hoc est quia praefatus episcopus mutavit ex hoc voluntatem suam, et nos sicut ille praecepit inser.......... Sig✝num Sala. = Sig✝num Ermemiri. = Sig✝num Hunifredo. = Sig✝num Waldaldus. = Lobatone sacerdos qui hunc testamentum scripsi et ✝ die vel anno quod supra.



# XXIII.

*Pactum fidelitatis inter Ausonensem et Gerundensem episcopos, circa annum MXIII.* (V. pag. 179.)

*Ex origin. in arch. eccl. cated. Vicen. n. 137.*

Iuro ego Petrus episcopus, filius qui sum de Adalaizo comitissa, ut de ista hora in antea non dezebre te, Borrello episcopo, filius qui fuisti de Ingilrada faemina, de tua vita, nec de tuis membris, neque de tuum episcopatum, neque de alios feos, neque de tuos alodès, neque de tuos castellos, quos hodie habes, et in antea cum meo consilio adquisieris de ista hora supra scripta; ne ten dezebre, ne ten tolre, ne no to tolre, nec ego nec alius homo, nec faemina per meum ingenium, nec per meum assensum, neque per meum consilium. Adiutor ero ego Petrus episcopus supra scriptus a te, supra scripto Borrello, ista omnia supra scripta simul cum ipsa abadia Sancti Faelicis Gerunda, ad habere et ad tenere contra omnes homines vel faeminas, hominem vel faeminam, quod a te, supra scripto Borrello, tollere voluerint aut voluerit, tulerint aut tulerit, de ista omnia supra scripta, exceptis Ermessindis comitissâ, et filio suo Berengario. Et ego Petrus supra scriptus si o tenre et detenre, sicut súpra scriptum de me, quod ego teneam ad te, Borrello supra scripto, sine malo ingenio adversum te, et sine ulla tua deceptione. Et iuro ego Petrus supra scriptus a te, Borrello supra scripto, ut de ista prima adobertura, quae mihi adobertura de terra....... Iarundense, ego supra scriptus Petrus a te, Borrello supra scripto, valent....... aut amplius de ipsa parrochia de....... supra scripto, et istum sacramentum supra....... tenre et o atendre a te, Bor-

rello suprascripto, sine malo ingenio, et sine tuo ingauno, et sine tua deceptione, si com in isto pergamino est scriptum, o tenre, et o atendre ego Petrus a te, Borrello, fors quant men solveras sine forcia.

## XXIV.

*Acta consecrationis ecclesiae S. Pauli de Pino in valle Confluentis, anno MXXII.* (V. pag. 182.)

*Ex autogr. in arch. Monast. S. Petri Campirotundi.*

Anno dominicae Incarnationis XXII super millesimum, Era millesima LX, Indictione IIII, pridie Idus Octimbris, venit Guifredus nutu divino archiepiscopus Narbonensis, filius Guifredi comitis, et Oliva pontifex Ausonensis frater prephati comitis (1), et Idalcherus archidiachonus Helenensis, simul cum iam dicto comite, et innumeris fidelium clericorum et laicorum turmis ad dedicationem ecclesiae Sancti Pauli apostoli, et confessoris Pauli, in valle Confluente, sitae in villa Pino, consenciente sibi Berengario Helenensi episcopo tunc temporis peregre profecto. Igitur nos prephati episcopi confirmamus predictae ecclesiae suam parroechiam ab oriente terminatam in terminibus Verneti, a meridie in fonte de Tec, ab occidente in collo de Mented, a parte vero circi venit in Grunno, et descendit per scalam usque ad crucem. Infra prescriptos terminos confirmamus ei decimas, et primicias, et fidelium oblationes, et cuncta quae divino cultui pertinent, eo tenore ut cannonicâ et apostolicâ auctoritate subdita sit suae matri sanctae Helenensi ecclesiae. Siquis autem, quod non

1 Uterque scilicet filius Olivani comitis Bisuldunensis et Ceritaniae.

optamus, huius nostri decreti presumptiosus temerator extiterit, tandiu noverit se separatum ab omni caetu fidelium christianorum, donec resipiscat, et ad plenam satisfactionem veniat. Pro temporali tamen vinculo quidquid ablatum fuerit, reddatur in quadruplum. Donata vero a nobis est prephata ecclesia huius dotis titulo anno XXVI regni regis Rodberti. = Guifredus sanctae primae Narbonensis ecclesiae episcopus SS. †. = Oliba episcopus quod iustum est confirmo. †. = Udalgarius archipresbiter SS. = † Salomon sacer et iudex scripsit et SS.

## XXV.

*Scriptura cessionis quarundam ecclesiarum factae Bernardo Sendredi ab Oliva episcopo Ausonensi circa annum Dñi MXXXI.* (V. pag. 184.)

*Ex arch. eccl. Auson. n.* 339.

Haec est convenientia placiti, quae facta est inter Deum et Sanctum Petrum, et Olibanum episcopum, et Bernardum Sendredum, de ipsis ecclesiis Sancti Petri, quae sunt in suburbio castri Gurbiensis. Nam ut ab ipsis initiis reiteremus, domnus Frugi episcopus dedit easdem ecclesias ad victuaria channonicae sub excommunicatione; et postea idem ipse, quod excomunicaverat, solvit, et dedit eas pro benefitio Bonefilio clerico fratri Sendredi, qui erat dominus supra dicti castelli. Defuncto etiam praefato episcopo, domnus Arnulphus, qui in episcopatu successit, easdem ecclesias dedit Bonifilio praedicto Sancti Petri chanonico. Mortuo quoque Bonifilio, concessit idem episcopus iam dictas ecclesias Berengario clerico, supra dicti Sendredi filio. Qui Sendredus, ut erat potens et nobilis, multa munera et donaria contulit ex hoc in Sancti Petri servitio. In-

terea obeunte Arnulpho episcopo, cum ei successisset in pontificatum domnus Borrellus, bonae memoriae praesul, observavit primitus hoc donum Sendredo, filioque eius Berengario. Sed postea, prometo eodem Berengario ad praesulatum sedis Elenensis, tanta discordia exorta est inter Borrellum episcopum, et illos, ut idem episcopus praefatas ecclesias eis auferret, reclamantibus autem et repugnantibus bellum inferret. Unde factum est, ut praescriptus Borrellus episcopus in concilio Narbonensi veniens, deferret ante domnum Guifredum archiepiscopum, coeterisque coepiscopis litteras sub nomine Fruiani episcopi, cuius superius mentionem fecimus, editas; quae continebant excomunicationis maximam censuram, si quis hominum esset, qui praedictas ecclesias a iure canonicae quolibet modo auferret. Ostendebant quoque aeedem litterae praefati Fruiani nomen, quasi suis ipsius manibus exaratum. Petiit ergo idem Borrellus domnum archiepiscopum, et omne concilium, ut eandem scripturam, quasi sub nomine Fruiani episcopi factam, suis nominibus confirmarent. Illi autem, nihil in hoc suspicantes esse prestigii, scripturam illam, sicut rogatum fuerat, firmaverunt. Igitur Borrellus iam dictus contra Berengarium iam episcopum, fratremque eius Bernardum, impatientis animi furore comotus, praedictas ecclesias eis auferens, iuri cannonicae delegavit, iterumque quantâ valuit excommunicatione firmavit. His rebus ita peractis, Borrellus episcopus ab Ispanis veniens, et Igrundam adiens, antequam aliquid aliud super hoc ageret, morte preventus est. Interea cum Dei ordinante providentiâ, ego quamvis immeritus Oliva successissem in regimine pontificatus, eandem scripturam firmavi, atque supra dictas ecclesias cannonicae utilitati habere permisi. Supra dicti autem fratres, Berengarius praesul, necne Bernardus, nihil proterve contra me agentes, sed simpliciter se

audiri praecantes, et iniuste contra se actum fuisse clamantes, ut in melius res ad partem eorum proveniret, orabant. Ego vero cernens illos, et potentes, et nobiles, et mihi spontanee subditos et acclines, quia non audebam eis reddere hoc unde manebant diu moerentes, contuli eis de praediis Sancti Petri, quae in meae utilitatis usibus detinebam, aliud benefitium; unde satis liberale sum expertus eorum servitium. Illi autem hoc alacri animo suscipientes, numquam tamen a prioris quaerimoniae vociferatione cessabant, sed semper ut ecclesiae, quae iniuste sibi sublatae fuerant redderentur, orabant. Promittentes insuper, si haec eis provenirent, in omnibus imperata facturos, et qualecumque servitium eis imponeretur, Sancto Petro mihique se exhibituros. Ostenderunt quoque veris assertionibus illam scripturam, quam sub nomine Fruiani episcopi factam Borrellus praesul ad sinodum Narbonensem monstraverat, nomine Fruiani eiusdem falso fuisse subscriptam. Igitur ego, videns haec et audiens multa, diuque super hoc meditans, cognoscens quoque maioris esse comodi ad utilitatem et stabilimentum cannonicae Sancti Petri, si hoc quod ex me idem Bernardus habebat, in cannonicae potestate transferrem, cum additamento alterius maximi famulaminis quod ab illo exigerem, et quod moerendo petebat illi reformarem, contuli hoc ipsum cum domno Guifredo Narbonensi archiepiscopo, simulque cum Amelio episcopo Albiensi, et Guifredo Carcassonensi, et Guadallo Barchinonensi, et Berengario Elenensi, aliisque quam plurimis diversi ordinis viris. Qui omnes uno animo eademque sententiâ proclamaverunt maioris utilitatis hoc esse, et aptioris ad opus cannonicae. Domnus insuper archiepiscopus excommunicationem, quam super hoc fecerat, solvit, et coeteris coepiscopis, ut solverent, imperavit. Propterea ego confidens de Dei misericordia, Sanctique Petri apostoli inter-

cessione sanctissima, et credens patefieri Deo cor meum, qui novit qua intentione ista perfecerim, suscepi filium ipsius Bernardi, quem idem obtulit Deo et beato Petro apostolo in clericum, et dedi eidem filio eius praefatas ecclesias, quae sunt in suburbio praedicti castri Gurbiensis. Illas vero ecclesias, quas idem Bernardus ex beneficio Sancti Petri possidebat et meo, libere confirmavi ad tenendum cannonicae Sancti Petri et nostrae. Accepi etiam sponsionem ipsius Bernardi, quam promisit coram Deo et beato Petro apostolorum principe, multisque hominibus diversorum ordinum, quod statorem in servitio Sancti Petri loco filii sui subrogaret, donec ipse talis fieret, qui debitum famulamen per se implere potuisset. Et si, quod absit, filius eius, vivente eo, de hac vita discederet, alium ex suis filiis loco eius substitueret, quem Deo et Sancto Petro in eadem sede in clericum offerret, qui benefitium idem loco fratris defuncti teneret. Si autem nullus clericorum ex eius filiis superesset, ipse Bernardus easdem ecclesias dum viveret retineret, atque post obitum illius libere et sine ullius hominis ulla inquietudine in Sancti Petri dominio remanerent. Dedit quoque idem Bernardus mihi propter hoc viginti uncias auri. Promissit etiam quod propter Dei amorem, et propter remedium et absolutionem animae patris sui, matrisque suae, procuraret haberi unam lampadem semper ardentem ante altare beatissimi Petri, et quod omnibus annis propter hoc ipsum daret unam optimam refectionem cannonicae in festivitate Sancti Andreae. Promissit quoque quod si aliquod ex praediis Sancti Andreae, ut praefatarum ecclesiarum iniuste teneret, legaliter inquireret; et si cognovisset, legaliter se inde exvacuaret. Igitur ego Oliva, Dei ordinante gratiâ praesul, idcirco hanc convenientiam litteris mandare curavi, ut cognoscant omnes, tam praesentes quam futuri, qualiter hoc factum fue-

rit. Et siquis aliter audierit, per hoc veritatem cognoscere possit. Harum autem constitutionum simili modo se habentium fecimus duas, quarum hanc scripsi ego Ermemirus diaconus, alteram Guibertus grammaticus. Actum in sede Sancti Petri IIII. Nonas Aprelis. = Oliba episcopus †.

## XXVI.

*Ausonensis ecclesiae consecratio, anno MXXXVIII.* (V. pag. 185.)

*Nunc denuo ad autographi in eiusdem eccl. arch. asservati fidem exacta.*

Anno Incarn. dominicae millessimo XXX.VIII., Era millessima LXX.[a] VI.[a], Indictione V.[a] (VI.) venit domnus Guifredus sanctae primae sedis Narbonensis archiepiscopus, vir excellentis ingenii, et sapientiae singularis, ad sedem Beati Petri apostolorum principis ecclesiae Ausonensis, atque cum eo episcoporum suae dioceseos venerabile collegium, cum katerva praemaxima diversi ordinis clericorum, occurrente simul variae dignitatis, ac utriusque sexus grandi multitudine populorum, ad consecrandam eiusdem sedis baselicam in honore Beatorum apostolorum Petri et Pauli constructam. Agebantur autem haec sub potentatu et praesentia domnae Ermessindis comitissae, divinae legis operatricis magnificae, suique nepotis domni Raimundi comitis et marchionis,* pueri egregie indolis. Horum vero numerosa katervatim profluens congeries advocatorum, et conventus reverendorum, quem supra retulimus, praesulum, facta sunt instinctu et industriâ mentisque devotione paratissimâ domni Olivae praefatae sedis venerandi pontificis, qui eandem ecclesiam strenuiter a solo ceptam, multisque sumptibus et labore perfectam, diversis

sanctorum pignoribus undecumque contractis, ad sanctitatis cumulum perhornavit, atque cum praecellentissimo episcoporum agmine, et sacro plebis ordine, divinâ se iuvante gratiâ, dedicavit. Denique his, de quo supra retulimus, domnus Guifredus ecclesiae Narbonensis archipraesul eximius, et multimodis laudibus efferendus, pontificum sibi assistentium corus, iocunde celebritatis laudibus perpulcre solutis, divinique consumato fine misterii, hanc constitutionis dotem eidem ecclesiae contulere, eamque perpetuâ lege valituram pontificali censurâ promulgavere. In nomine summi et incomutabilis Dei et Salvatoris nostri Ihesu Christi: ego Guifredus, primae sedis Narbonensis archiepiscopus, et Oliva pontifex Ausonensis, et Berengarius Elenensis, et Guislabertus Barchinonensis, et Eriballus Urgellensis, et Guifredus Carchassonensis, uno animo et indivisâ sententiâ simul omnes hanc dotem corroborationis sanctae matri ecclesiae Ausonensi, in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli fundatae, et consecratae concedimus, et confirmamus; et ut inrefragabili iuris perpetuitate inconvulsa permaneat, sub divini nominis obtestatione, et nostri ordinis auctoritate, sancimus. In primis eandem ecclesiam statuimus esse omnino liberam, nec cuiuscumque servicii qualibet executione obnoxiam. Omnes ecclesias vel universa praedia, quantacumque, vel ubicumque quorumlibet fidelium dono sibi iuste concessa, vel usque in perpetuum iuste concedenda, libere teneat, et secure possideat, ea videlicet, quae actenus habuit, et nunc habet, vel quicquid in omnibus mortalium temporibus habuerit: tertiam partem de reditibus ecclesiarum, vel silvarum, aut de pratis, aut eremis, sive rafigis, vel quos huius patriae vulgus tertios absolute vocat, quemadmodum hucusque habuit, vel habere debuit, vel etiam pascuarios undecumque habet vel habere debet, ut in perpetuum sine quorumlibet impedimento pos-

sideat, confirmamus, et ut semper habeat statuimus. Monetam publicam suae regionis, et toloneum de mercatis ipsius loci, et Minoricae, ut semper obtineat, omnimodo roboramus. Interdicimus quoque, iuxta statuta sanctorum cannonum et auctoritatem antiquorum patrum, ut nullus quorumlibet pontificum infra fines ipsius episcopatus ecclesiam consecrare, vel penitentes eiusdem episcopii suscipere, nec eius clericos ordenare praesumat, nisi forte praesul praenominatae sedis assensum spontanee praebeat. Nemo praedia ipsius ecclesiae, ubicumque debita illi noverit, celare audeat, sed mox ubi cognoverit, ad profectum illius confestim manifestare non pigeat. Nullus princeps, nulla quaelibet potestas magna vel parva, nec alicuius cuiuscumque dignitatis aut sexus, aut ordinis homo terminos ipsius episcopatus adbreviare presumat, nec ad damnum praefatae sedis quolibet modo transferre vel alienare contendat. Terminus vero totius episcopatus sanctae Ausonensis ecclesiae incipit a finibus Bergitani, et conscendit usque in montem qui dicitur Era mala, et usque in montem Surroca, et venit usque ad pratum Campi rotundi, vaditque per ipsam serram sicut aquae divertunt usque ad Gurni. Deinde ascendit ad petram Lavandi, atque per ipsam rupem de Latione, descenditque usque in fluvium Tezer, et pervenit usque ad plantaticios, quod terminus est inter Gerundensem et terminos Ausoris, usque in rivum Ausoris. Conscendit quoque per ipsam serram usque in Ierundellam, deinde per ipsam viam, quae venit ad Bellam pollam, et progreditur usque ad terminos, qui sunt inter Ichannet, et ipsam Elzetam, et venit in finibus Arbutie, et inde ascendit usque ad cacumen montis qui dicitur Sen, et usque ad Calm, quae dicitur Eramala, et pervenit usque in collem montis Nigri. Deinde ad rivum Congusti, venitque ad castellum Bertillis, et usque super rupem Sancti

lenesii, et inde ad montem Sancti Saturnini, et ad montem Calvum, atque inde protenditur usque ad montem Serratum. Progreditur autem per medios terminos, qui sunt inter marchiam Barchinonensem et Ausonensem, sicut dividuntur ipsae marchiae, et vadit usque in castrum quod dicitur Cheralt, et pergit per mediam divisionem ipsarum marchiarum usque in fluvium Sigorim. Similiter ab eo latere, quod superius scriptum est in finibus Bergitani, vadit ipse terminus inter marchiam Ausonensem et marchiam Berchitanensem, sicut dividuntur ipsae marchiae, et pergit usque in fluvium Sigorim. De ipsa quoque terra, vel universis ecclesiis aut parrocchiis, vel qualibuscumque praediis, quae ad cannonicam eiusdem sedis beati Petri apostoli pertinent, videlicet, quae hodie iuste possidet, vel abhinc per universa tempora iuste possederit, vel adquisierit, per auctoritatem beati Petri apostolorum principis, et per ordinem nostrum excomunicamus et interdicimus, excepto quantum frater et coepiscopus noster domnus Oliba solverit; ut nullus homo cuiuslibet potestatis, aut sexus, aut ordinis aliquid inde audeat tollere aut alienare, vel ad damnum praedictae cannonicae quolibet modo transferre vel comutare. Hoc ipsum vero, quod iuris ipsius cannonicae fore dinoscitur, eo tenore obligamus, ut quemadmodum supra dictum est, quicquid exinde praefatus pontifex Oliba solverit, solutum permaneat, quicquid solvere noluerit, excomunicatum pontificali censurâ persistat. Igitur hanc universam nostrae constitutionis dotem superius promulgatam perhenni lege valituram censemus, omnemque hominem illam observantem, et ut stabilis permaneat adiuvantem pro posse, benedicimus, et ut diuturnitatem vitae praesentis, et perpetuitatem semper manentis obtineat, praeobtamus. Statuimus autem sub divini iudicii obtestatione, et anathematis interditione, ut si quislibet homo cuiuscunque po-

testatis aut ordinis hanc disrumpere vel violare nisus fuerit, aut disrumperit aut violaverit, hic de parte Dei Omnipotentis, et beati Petri apostoli, omniumque sanctorum, et nostrâ excomunicatus permaneat, et a conventu sanctae ecclesiae, et omnium christianorum alienus existat, tartareisque vinculis innodatus inferorum poenas aeternaliter sentiat. Quod si ab incepto desistat, et dignâ poenitudine simul et emendatione satisfaciat, ab hac excomunicatione solvatur, et haec nostra constitutio inrefragabilis, et inconvulsa perpetualiter habeatur. Actum est hoc in sede beatorum apostolorum Petri et Pauli II. Kalendarum Septimbrium anno VIII regni regis Henrici. = Raimbaldus Arelatensis archiepiscopus. =Poncius Aquensis archiepiscopus. = Scriptum manu Ermemiri eiusdem sedis cannonici, et praesbyteri, ad vicem Arnaldi Olivae pontificis notarii. = Guifredus Sanctae Narbonensis ecclaesiae archiepiscopus, qui hanc ecclesiam nostrae metropolis dedicavi, et subscripsi ✝. = Oliba episcopus. ✝. = ✝ Guislibertus gratiâ Dei Barchinonensis episcopus. = Eriballus ✝ episcopus. = Arnallus archipresbyter. = Wilielmus archidiachonus ✝. = Godebalo de Bisaura. = Folco vicecomite ✝. = Reimundus comes et marchio. ✝. = Adalbertus levita qui et prepositus subscripsi. = ✝ Ermessindis gratiâ Dei comitissa. = ✝ Wifredus gratiâ Dei Charcassonensis praesul. = ✝ Petrus episcopus. = ✝ Arnaldus episcopus. = ✝ Berengarius nutu Dei Sanctae Elnensis ecclesiae praesul haec supra scripta confirmo. = ✝ Barnardus gratiâ Dei episcopus Coseranensis. = ✝ Bernardus subscribo. = Girallus vicescomes subscribo. = Ermemirus quamvis indignus sacerdos, qui in supradicto anno vel die scripsit haec quae superius dicta sunt, sub iussu praefatorum pontificum et procerum, et comite Remundo, et subscripsit.

# XXVII.

*Iudicium latum in favorem archidiaconi Ausonensis super castro de Speut, anno MXXXI.* (V. pag. 186.)

*Ex autogr. in arch. eccl. cated. Vicen. n. 179.*

In Dei nomine. Mota est audientia in sancta sede beati Petri Ausonensis ecclesiae coram domno Olibane episcopo, videlicet, ex munificentia alaudis, quae dicunt Speut, quod quondam Sesnanda foemina de castro Guardiola relinquit per scripturam ad opus canonicae praefatae sedis, et praefatus episcopus dedit Guilielmo Guifredo archidiacono cum ipso archidiaconatu, eo quod antecessor eius Richulphus hoc retinebat. Tunc surgens Adalbertus praepositus atque praevisor (f. provisor) iam dictae canonicae cum plures ex cannonicis, promoti sunt in quaerelam ante praefato episcopo, dicentes per iam dictae scripturae in iure canonicae permanere praedictum alodium, et ad opus canonicae fruere. Quem praefatus episcopus legaliter in hoc ordinavit placitum, et precepit prefato archidiacono ex hoc responsum parare. Statimque ille devotus implevit, et taliter in episcopali palatio ante seniores et iudice prosecutus est responsum: Recte mihi debere pertinere praefatum alaudem per pontificalem auctoritatem, quod quondam Unifredus, cuius primitus possesio et proprietatis dominio fuit praedictus alodius, ad suam ultimam voluntatem, per testamentum et conditiones exinde strenue factae, per consilium praefatae Sesnandae, eum integerrime relinquit ad prefatam sedem beati Petri, absque mentionis canonicae. Et sicut adlocutus est prefatus archidiaconus, ita statim ordinante iudice iam dictae sedis Guifredum can-

nonicum testimonia ad hoc sufficienter testificandum exhibuit, quorum nomina sunt Olibane de Guardiola, et Mirone, quem dicunt de Castro Sorisa, taliter ordinabiliter testificantes: Nos testes praelibati Olibane, et Mirone, testificando iuramus per Deum vivum et verum, quem inennarrabiliter in Trinitate adoramus, et credimus, super altare Sancti Foelicis situm in sede praefata, quod vidimus iam dictum alaudem Speutum ab integrum tenere iure proprio ad praefatum Unifredum in vita sua, et ad sua extrema voluntate per testamentum unde conditiones editae fuerunt, relinquere ad proprietatem praefatae sedis beati Petri liberaliter et absolute, sine conventu cannonicae, post obitum Sesnandae, ad iam dicta sede remanere; et hoc taliter praefatae Sesnandae confirmare. Quem ego Guifredus, gratiâ Dei iudex, sicut legalis docet auctoritas, cum parte channonicorum praesentia recepi iam dictos testes taliter testificantes, una cum iam dicto Antestite, et confirmo et consigno praefatum alaudem in dominatione et potestate praefato archidiacono sub sede Sancti Petri servitio, ut ab hodierno die in antea eum habeat sine obiectu canonicae, vel contentione, quiete et tranquille. Et si quis ulterius hoc repetere vel in aliquo disrumpere voluerit, V. libras auri cum praedicto alaude in triplum pro temeritatis audatiae componat; et haec conditionis vel exemplar scripturae definitionis, atque consignationis, inmunis persistat in soecula. Acta sunt haec XIIII. Kalendas Madii anno XXXV. regnante Rotberto rege. = Sig✝num Oliba. = Sig✝num Mirone, testes praesentiales, et fratres, qui hoc legali auctoritate testificamus, firmamus, firmarique rogamus. = Oliba sacerdos ✝. = Oliba episcopus ✝. = Galindus sacerdos ✝. = Bonefilio levita qui et sacriscrinii ✝. = Ermemirus diaconus scripsit et subscripsit in praefato die vel anno. = Guibertus grammaticus ✝.

## XXVIII.

*Acta consecrationis ecclesiae S. Michaëlis in castro Rocheta, anno MXLIII.* (V. pag. 186.)

*Ex autogr. in arch. eccl. cathedr. Vicensis. n.* 255.

Notum sit omnibus hominibus praesentibus atque futuris, quod ego Alemannus invitavi domnum Olibanum pontificem sanctae sedis Ausonensis ad dedicandam ecclesiam Sancti Michaëlis fundatam in diocesi Sancti Petri supra nominatae sedis, in alodio mèo Castro Rocheta; ad quam veniens praedictus pontifex sub invocatione nominis Christi eam consecravit, et praetiosa ibi sanctorum pignora recondidit. Ut autem ipsa ecclesia supra dicta in diocesi praefatae sedis fundata esse sciretur, interpellante supra scripto pontifice Oliva, ego praedictus Alemannus concessi atque constitui, ut omnibus annis per unamquamque synodum una libra cerae ad sedem Sancti Petri pro censo iam dictae ecclesiae Sancti Michaëlis deferatur, et persolvatur, et praefatae ecclesiae presbyter ibi in omnibus synodis prèsentetur. Facta dedicatio, concessio, atque constitutio anno Incarnationis domini millessimo XL<sup>c</sup>III.° XI. Kalendas Mai, anno XII. regni regis Henrici. = Alamanno, qui han constitutionem feci, et firmavi, et testes firmare rogavi. = Sig✝num Adrover. = Sig✝num Sunier Arnalli. = Sig✝num Ebrinus. = Sig✝num M. ........ = Salomon monachus, qui hanc cartulam constitutionis scripsi sub die et anno quo supra ✝.

# XXIX.

*Encyclica littera monasteriorum S. Mariae Rivipollensis, et S. Michaëlis Coxanensis super obitu D. Olivae episcopi Ausonensis, et utriusque monasterii abbatis, anno MXLVI.* (V. pag. 187.)

*Ex arch. monast. Rivipoll.*

Dilectissimis katholicae matris aecclesiae filiis universis, quibus haec scedula fuerit porrecta lacrimabilis, grex caenobiorum gloriosae virginis Mariae Rivipollentis et principis aetherei Mikaelis archangeli Coxianensis, merens, et destitutus solatio piissimi patris, iugem faelicitatem commodi temporalis, et interminabile gaudium gloriae perpetualis. Fracti dolore, perculsique merore, nostrae vobis anxietatis angores patefacimus, ut vestro iuvamine qualiacumque remediorum solamina capiamus. Nolumus autem admodum esse verbosi, ne vestrae videamur karitatis auribus honerosi. Sed resumpto calamo ebetescit animus, obmutescit lingua, tenebrantur oculi, marcescunt digiti, dolorque cordis tunc demum renovatur, cum tremebundis manibus causa doloris litteris annotatur. Erat nobis, quem perdidimus, totius pater patriae domnus Oliva praesul et abbas beatae memoriae, desiderabilis facie et nomine, cuius dulcis affabilitas, et affectuosa paternitas, ita sibi nostras colligavit animas, ut eum vitâ carius haberemus, et nichil post Deum eius dulcedinis affectibus preponeremus. Hic ergo, ut ab exordio repetamus, nobilissimis extitit natalibus ortus, et gloriosâ maiorum stirpe progenitus. Qui ab ineuntis evi primordiis divinis litteris eruditus, patriae principatum hereditario sibi iure delegatum optinuit, quem praeclarissime rexit, hac

mundialis gloriae supplementis, multisque honorum profectibus perornavit. Tactus autem divino spiramine saeculi actibus renuntiavit, et admodum iuvenis in caenobio gloriosae virginis Mariae iuxta regulam Benedicti patris, sub abbatis imperio militavit. Abbatibus interea praefatorum caenobiorum uno pene tempore ab hac luce subtractis, adclamatione cunctorum fratrum curam regiminis repugnans, nolensque suscepit. Electus autem omnibus aequalem se praebuit, sanctaeque conversationis opera verbis docuit, et operibus praemonstravit. Aecclesiarum quoque statum doctrinâ sapientiae, et hedificiorum mirabili structurâ, diversorumque ornamentorum gloriâ summis honoribus ampliavit. Obeunte etiam ipsius regionis pontifice, coniventiâ clericorum et hominum totius episcopii, et principum electione magnificâ, et diversorum praesulum ordinatione promtissimâ, pontificali est sublimatus in cathedra. Qui de prioris continentiae nichil rigore laxavit, sed humilitatis et patientiae ac totius boni operis exempla subditis insinuavit. Succinte quidem nos promissimus loqui; sed dolorum stimulis incitati, finem excessimus iam loquendi. Hic ergo cum bonis polleret moribus, et propter eximiae karitatis affectum fieret amabilis cunctis, in praedicto caenobio gloriosi archangeli Mikaelis corporis langore preventus, atque ad extrema perductus, gregem sibi commissum Domino commendavit. Sicque multis coram astantibus, misereque lugentibus et flentibus, III. Kalendas Novembris, V. feriâ, horâ VIIII. iam decente, ab hac luce decessit, et nobis inenarrabiles luctus, et inamabiles fletus suâ morte reliquid. Hunc ergo quanto carius amabamus, tanto artius vestrae pietatis vestigiis inculcamus; quatinus quaecunque illi ex terreni contagio pulveris peccatorum inesere maculae, vestrae excutiantur orationis iuvamine, ut a malis omnibus eximi, et in cae-

lestis regni gaudiis mereatur adiungi. Et quia in multis offendimus omnes, et nemo est hominum absque peccato, praesidia sanctae intercessionis ei impendite, ut non patiatur illum trudi gehennalibus claustris, filius Dei qui eum pretio sui redemit sanguinis, faciatque sui consortem in paradisi amenitate, quem perornavit in hoc saeculo sacerdotii dignitate. Nostrorum vero fratrum defunctorum nomina, quibus vestrae pietatis deposcimus solatia, ideo hic non sunt notata, quoniam ei sunt nota, qui nichil nesciens novit omnia. Cursores praeterea nostri, diebus quibus vos adierint, vicem quas obtineant mendicantis, et de mense vestrae fragmentis expleant inediam animae esurientis. Additoque eis qualicunque supplemento viatici, remittite illos in viam pacis, ut Deus pacis et karitatis sit semper cum omnibus vobis.

*Hanc epistolam encyclicam sequuntur responsiones plusquam octoginta ecclesiarum et monasteriorum, tum prosâ, tum versâ oratione, quibus scilicet praefati Olivae mors nuntiata fuerat. Quas inter epistolam ecclesiae Ausonensis, et monasterii Karroffensis describendas selegimus speciminis gratiâ.*

## *Epistola ecclesiae Ausonensis.*

Religioso coetui in monasterio Rivipollentis Christo eiusque Genitrici assidue militanti, Ausonensis clerus ecclesiae universus, et vitae instantis diutina commoda, et praemia futurae foelicia. Cum feriâ quintâ nuper elapsâ iam ferme per medium orbis axem titane alipedes agitante, XII. Kalendarum Iuniarum die, gerulus vester communis moestitiae vestrae, scilicet, nostraeque, ad nos per litteras monimenta detulisset, pro comendando spiritu dilectissimi patris vestri, nostri vero pontificis, Redemptori omnium praeces impensius post paululum offerre non distuli-

mus, sicut facere pridem curavimus. Quis enim tanti viri imaginem mente referens, eius non tristetur amissione? Quis vero eius animae aeternam non debeat optare et orare salutem? Qui quoad vixit in corpore, non solum ignaros dogmate coelesti imbuit, verum etiam misericordiae actibus viam lucis ostendit. Quem quidem fugandis tuis tenebris, o quondam felix Hesperia, divina cessit clementia. Sed sorte mortali, tempore clauso, fidelis officii beatum iam recepisse munus a retributore omnium bonorum non ambigitur sui laboris. Qua propter, dilectissimi, hac fiduciâ consolati, ne de discessu eius tristitiam sinatis diutius mentium vestrarum dominari. Hinc potius fideliter nobiscum gaudete, quia vos patrem talem, nos vero talem meruimus pontificem, immo vere utrique patrem, et pontificem, quem apud divinam clementiam credimus nobis affore intercessorem. Sperantes igitur quod domnus noster Oliva pater et episcopus partem beatae resurrectionis sit habiturus, suscipite verba doctoris gentium, qui in Thessalonicensibus nos ita consolatur: »Nolumus enim vos (dicens) ignorare, fra»tres, de dormientibus, ut non contristemini, si»cut et coeteri, qui spem non habent. Si enim »credimus quod Iesus mortuus est, et resurre»xit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Ie»sum, adducet cum eo &c. Itaque consolami»ni invicem in verbis istis." Nos igitur praedicti patris nostri ac pontificis, donec nostros spiritus rexerit artus, memorabimur, et pro beatificanda eius anima in coelestibus divinam clementiam postulabimus, et salutares hostias offeremus. Tandem fraternitatem vestram deposcimus, ut pro caris nostris a carne solutis itidem faciatis ita dudum vocatis, Borrello pontifice divae memoriae, Riculpho archidiachone, Bonfilio sacrista, Guifredo iudice, Galeno quoque sacrista, et reliquis quorum nomina novit, cuius scientiam latet nihil.

Vivite felices, felicia gesta gerentes,
Ut post hanc vitam policam scandatis ad aulam.

*Epistola monasterii Karroffensis.*

Karroffensis enim monachorum contio Christi,
Fratribus atritis gaudia cum superis.
Ponite iam luctum pro tanti funere patris:
Non lugendus adest, quem propria vita decorat.
Credimus esse cum bonis, studuit qui vivere Christo,
Hunc praece cum nimia cuncto pulsante metallo
Iuncximus aeternis rogitando cuncta regentem.
Inpendi nostris cunctis quoque sic rogitamus.

Quorum haec sunt nomina: Fulcherius abbas, Hebolus abbas, Bernardus monachus, item, Bernardus, Rogerius, Ramnulfus: sic etiam pro cunctis reliquis quorum nomina solo Deo sunt nota, agi praecamur.

## XXX.

*D. Olivae Auson. episcopi et abbatis Rivipollensis carmen in laudem monasterii Rivipollensis, editum post annum MXXXII.* (V. pag. 191.)

*Ex bibl. Rivipoll. cod. n. 57. MS. sec. XI.*

Hoc adiens templum genitricis virginis almum,
Fac venias mundus, humili spiramine fultus.
Hic Deus est rector, templi servator, et auctor:
Emicat egregius, radians ut sol, Benedictus,
Cuius ad aethereum perducunt dogmata regnum.
Poscimus hunc patrem nosmet dominumque potentem,
Praestet opem, miseris prebens solatia cunctis.
Presul Oliva sacram struxit hic funditus aulam;
Hanc quoque perpulcris ornavit maxime donis,

Semper ad alta tulit, quam gaudens ipse dicavit.
Est hic et Arnulphus arum qui prima domorum
Menia construxit, primus fundamina iecit,
Sedis et egregie praesul rectorque Ierundae.
Quintus in hac aula Guidisclus praefuit abbas.
Claret post sextus Sen dictus nomine fredus.
Septimus ipse sequor, qui nunc sum carminis auctor.

Conditur hic primus Guifredus marchio celsus,
Qui comes atque potens fulsit in orbe manens;
Hancque domum struxit, et structam sumptibus auxit:
Vivere dum valuit, semper ad alta tulit:
Quem Deus aethereis nexum sine fine coreis
Annuat in solio vivere sydereo.
Hic dominus patriae recubans, praesulque Ierundae,
Abdita Felicis prodidit ossa pii.
Dictus in hoc euvo patris de nomine Miro,
Aeveat hunc regnum Christus ad aethereum.
Huius et annexo genitor tumulatur in antro
Miro, sed ipse comes, clara patrum soboles.
Hinc comes egregia princeps ac conditur urnâ
Nomen Ave referens, prolis honore vigens:
Stemate sceptrigero potiatur munere divo,
Eruit supliciis, polleat aucta bonis.
Hic Ermengaudus Sunieri nobile pignus,
Perditus, heu, gladio, ac requiescit humo.
Hunc fera mors rapuit, quae nulli parcere novit;
Parce, Deus, famulo, conditor alme, tuo.
Post quoque Guifredus crudeli morte peremptus,
Nobilis atque comes, quem tulit atra dies,
Hoc iacet in tumulo compressus cespite duro:
Confer opem misero, Christe Deus, famulo.
Contegit hic tumulus Sinfredi nobile corpus,
Qui comes egregius splenduit atque pius:
Bellipotens, fortis, metuendus, et acer in armis,
Terribilis reprobis, et decus omne suis.

Quisquis ades, lector, suplex dic: parce Redemptor:
Hunc miserans famulum fer super astra tuum.

## XXXI.

*Eiusdem epistola de constitutis ab eo in synodo super pace et tregua Dñi observanda, data post annum MXXXIII.* (V. pag. 192.)

*Exarata est praesens epist. in cod. n.* 40. (versus finem) *in bibliot. mon. Rivip. et caractere quidem sec. XI.*

Oliva gratiâ Dei episcopus, karissimis fratribus Wa. et P. et S. iudici, et pbro, atque ceteris in cenobio commanentibus Dei genitricis et virginis Mariae, beatitudinem perpetuae vitae. Volo nosse fraternitatem vestram, dilectissimi, quod in sinodo, quae nuper habita est apud nos, factae sunt quaedam constitutiones atque firmatae, quas vobis volumus notas facere; et ut vos per omnes ecclesias et populos episcopatui nostro subiectos haec intimare et innotescere nimium curetis, fraternitatem vestram studuimus ammonere. In primis de constitutione pacis, quae per omnes regiones nostras tenetur a vespere feriae IIII.[ae] usque ad horam I. feriae II.[ae]; videlicet, ut per omnes ecclesias feriâ V.[a] sonent ad vesperum signa, et ab illa hora totâ feriâ VI.[a] et sabbato et dominicâ usque ad horam I.[am] feriae II.[ae] teneatur pax inrefragabilis et inviolata: et excommunicent et amoneant omni die dominicâ populum per suas ecclesias, ut nullus hanc pacem audeat violare. Qui autem eam violare ullâ ratione praesumpserit, aut qui violatoribus ullum patrocinium contra haec intulerit, tandiu eum excommunicent, neque ullum divi-

num officium eo praesente in ecclesia faciant, donec ei cui malum fecit obtime emendet, et post haec in sede ad nostrum iudicium se representet. Ortamur etiam ut similiter omnibus dominicis diebus excommunicent, sicut nos excommunicavimus, quicumque monetam nostram falsaverit, aut minuerit, aut denarios detonderit, ut factores, et patrocinatores, aut qui cognoverit et celaverit, omnes excommunicati permaneant. Mandate etiam hoc domno pontifici, ut ipse haec omnia adimpleat, et adimplere faciat, sicut nostra karitas ei denunciat. Hoc etiam in mercatis, feriâ II.[a] declamare facite, ut per multos multis possit innotescere. Statuimus etiam pro omnibus in nostro episcopatu hoc anno defunctis, hac feriâ II.[a] magnum officium celebrari ab omnibus clericis qui sub nostri episcopatus commanent terminis: quod vos quam maxime ortamur et ammonemus implere. Constituimus etiam in praedicta sinodo atque firmavimus, et excommunicando anathematizavimus, (quod volumus et ammonemus ut vos nostris clericis hoc ipsum in suis ecclesiis diebus dominicis agnoscere faciatis) ut quicumque mercatores ad mercata venientes, aut in mercatis manentes, aut inde redeuntes disturbaverit, aut sua eis violenter abstulerit, aut qui factoribus istius mali aliquod patrocinium contra hoc intulerit, tamdiu....... excommunicati permaneant, nec divinum officium in ecclesia audiant, donec digne illis cui malum intulerunt, emendantes restitutum habeant. De cetero in Domino valete, et haec non segniter adimplere curate.

## XXXII.

*Eiusdem ad posteros suique successores abbates admonitio.* (V. pag. 193.)

*Ex eod. cod. Rivipull.*

Oliva sancte Ausonensis ecclesiae praesul, licet indignus, et abbas, karissimo succesori katedrae nostrae, perpetuum in Xpo valere. Scriptum est: ne transgredieris terminos, quos posuerunt patres tui. Quippe nos, etsi non merito patres, vel ipsâ antecessione patres non inmerito possumus appellari. Statuimus ergo aliquid, et quasi terminum immutabile preficximus, quod vos cunctis diebus vestris devotissime perficere rogamus, et sub obtestatione divini iudicii commonemus: scilicet, ut eo die, quo evangelium de suscitatione Lazari, quam Xps Dominus noster operatus est, legitur, anniversarium omnium fratrum defunctorum dignissime celebretis, et missam, si potestis, ipsâ die per vos cantetis; ut sicut illum a morte carnis Deus omnipotens ad vitam temporalem, ita illos resuscitare dignetur ad perfruendam suae gloriae claritatem. Ipso quoque die in onore eiusdem Dñi nri Ihu Xpi, et apostolorum illius, XIII.cim pauperes suscipite, pedes eorum lavate, vestrisque manibus illis humiliter servire curate. Hoc autem memoriale, quod vobis missimus, vestro successori ereditario iure rogamus mittere non pigeatis.

In ora huius folii statutum Raimundi abbatis Rivipollensis invenitur, quo hoc praedecessoris sui Olivae monitum renovatur, et posteris commendatur.

# XXXIII.

*Decretum concilii Narbonensis habiti anno MLV. in favorem ecclesiae Ausonensis.* (V. pag. 198.)

*Ex autogr. in arch. eiusd. eccl. n.* 1414.

Universis ortodoxis, et cultoribus christianae religionis, quos una et intemerata fides per gratiam regenerationis fecit filios adoptionis........ Nos ecclesiarum Dei pontifices optamus munus salutis et benedictionis. Inter procellosum huius saeculi mare sepe nitimur navim ecclesiae anchorâ........ ad tranquillitatis portum reducere. Unde etiam, ne eructantis cataclismi fluctibus naufragetur, quas........ scripturarum........ et ad nostri adiutorii incrementum, catholicorum congregamus concilia. Ex qu......... concilium Deo inspirante in Galliarum partibus, in Narbonensi urbe, eiusdem urbis reverendo metropolitano....... in pontificali trono praesidente, stipante praefulgidâ sacerdotum Dei coronâ undique. Quorum unus fuit egregius Guilelmus pontifex Urgellensis, alter Guilelmus eximius antistes Ausonensis, et alius inclitus praesul Gerundensis, alius quoque........ Biterrensis, alter Lutovensis, tertius Agatensis. Cum igitur tales ac tanti proceres certatores....... inter se quaererent de utilitate ecclesiae, et unusquisque requiesceret in proprio eliotedro (1) intra sinum matris eius, oblatus est textus cuiusdam scripturae, factus sophisticâ machinatione, cuius argumento res auferebantur a iure Ausonensis ecclesiae. Sed praelibati pii pa-

1 Eliotedri nomine cathedram episcopalem hic designatam accipe; quam sic scribenti vocare placuit, vel quod eam radii solaribus similes ornarent, vel certe ob splendorem doctrinae, quâ episcopi velut sol omnibus praelucere debent. Porro *Eliotedrum* nusquam in lexicis graeco-latinis apparet.

stores hunc legentes, et contra ius divinum factum fuisse intelligentes........ hic quaerulam vocem suggerentes, condoluere sponsam Christi depraedari, et esse in paupertate, quae regina est in vestitu deaurato circum amicta varietate. Igitur oblatam sibi repudiantes scripturam, unanimiter decrevere nullo........ tempore iam valituram. Haec erat quae contra divinam admonitionem facta fuit propter rerum ambitionem, et personarum deceptionem, quae falce recisa anathematis et excommunicationis semper evanescat a statu nefandae......... cuius excomunicationis ordo tali incipit modo. In Dei aeterni nomine nos praescripti et subscripti........ admonemus, et contestamur omnes devastatores ecclesiae, ut a sacrilegii resipiscant crimine, et........ (res) restituant, quas noscuntur auferre vel abstulisse; inter quos etiam spetialiter admonemus et contestamur Guillermum Bernardi Sendredi filium, et per hoc nostrum obsecramus concilium, ut inveteratum dimittat sacrilegium, et Ausonensi ecclesiae atque canonicae deliberet parrochias et ecclesias, quas scimus canonicae praesulem dedisse Borrellum. Commonemus quidem tam illum, quam suos, per omnem coeli militiam, ut talem ac tantam sacrilegii deserant malitiam. Si nostram audierit et exaudierit admonitionem, a Deo et a nobis aeternam percipiat benedictionem; quod si non exaudierit, aeternae maledictionis et excommunicationis feriatur sententiâ, et ut ab Ausonensi episcopo sit excomunicatus, et excomunicandus, nostrâ suademus obedientiâ. Sic semper fiat a praesenti ac successore, sicut olim factum fuit a praecesore. Ideo enim hunc, qui nunc est, ut excommunicet impellimus nobis obediendo, ne crimen periurii incurrat male tacendo, qui pro rebus ecclesiae conservandis noscitur fidem dedisse iureiurando. Haec, quae praelibata sunt, sic excommunicamus, et ut ab omnibus obediatur nostrâ manu consignamus, sub die V. Kalendas

Octobris anno XXV. regni Henrici Francorum regis. = Guifredus archiepiscopus subsc. = Berengarius Dei gratiâ Gerundensis episcopus ✝. = ✝ Rostagnus Llutevensis praesul ✝. = Gonterius episcopus subsc. = Bernardus Biterrensis episcopus subsc. = Guislibertus gratiâ Dei episcopus Barchinonae cum coeteris confirmo ✝. = Guilelmus gratiâ Dei Urgellensis episcopus ✝. = Nos simul in unum praelibati episcopi manu nostrâ consignavimus, et sicut illa pseudographa continebat scriptura, post Bernardi Sendredi obitum et filii eius, in iure Ausonensis sedis praedictas ecclesias atque parrochias semper habendas redintegramus, et direptorem cum suis adiutoribus, ut diximus, excommunicamus, et a nostris successoribus excommunicandos obsecramus. = Wilielmus gratiâ Dei episcopus Ausonensis ecclesiae ✝. = Raimbaldus gratiâ Dei Arelatensis archiepiscopus subsc. ✝ excommunico = Ego Poncius Aquensis archiepiscopus excommunico. = Berillus grammaticus ad conculcationem sacrilegae scripturae hanc scripturam per auctoritatem episcoporum supradictorum scripsit die et anno quo supra ✝.

## XXXIV.

*Scriptura fundationis ac dotationis monasterii S. Martialis in Monte Signo, anno Domini MLXVI.* (V. pag. 201.)

*Ex autogr. in arch. S. Salvator. Bredensis.*

Apostolica atque evangelica veridica refert pagina, et in canticis canticorum prefigurant epythalamia, quod sponsa Xpi sit ecclesia, que de eius latere formata, anulo fidei est subarrata, et sacri fontis undâ purificata. Unde bene huic aedificatur domus oracionis, in qua per lavacrum re-

generationis pariat filios adoptionis, et in die suae disponsationis celebratur festivitas sacerdotalis consecrationis. Quapropter in Xpi nomine ego Guilelmus, gratiâ Dei pontifex Ausonensis principalis aecclesiae, videns Sancti Marcialis ecclesiam inter duo Montis Signa edificatam, ad principium fluentis Tordariae, ad sanctae sedis Ausonensis diocesim pertinere, curavi dedicacionis sollempnitatem consecrando adimplere, et per hanc dotalium tabularum auctoritatem res adquisitas et adquirendas conferre: ut episcopali confirmatione traditas nemo possit ab eiusdem Sancti Marcialis ecclesia iure extorquere; sed omni tempore, et abbas, et monachi ibi in monasterio, et reliqui Deo servientes possint secure possidere. Ubi eciam monachorum precibus, domnique Umberti, eiusque coniugis nomine Sicardis, eorumque filii nomine Guilelmi, aliorumque, Guifredum ordinavi noviter abbatem, ante quem nullus alius abbas locum rexerat multum pauperem. Merito igitur est ordinatus, quoniam a puericia in sacris litteris edoctus, et in monastica regula est educatus, et locus ille Sancti Marcialis per eius curam in monasterium est edificatus, ubi primum cum paucis monachis ieiuniis et vario labore fuit coangustatus. Per huius igitur dotis auctoritatem ego Guilelmus predictus presul, episcopali simul et canonicali firmitate corroboro prefato Sancti Marcialis monasterio omne alodium iuste datum et dandum, et omnes res fidelium oblatione adquisitas et adquirendas, ut tam novus abbas Guifredus, quam eius omnes successores ullo umquam tempore in predicti monasterii servicio teneant, vel utilitate possidendas instituant, vel disponendas disponant. Si quis vero laicus vel clericus cuiuscunque dignitatis aut mediocritatis contra........ sive imobiles....... dicti monasterii iure....... aut quocumque modo auferri fecerit, nisi rediderit, aut emendaverit, et se castigaverit, excomunicatum

se noverit. Ita quod omnis sexus et etatis persona sub hac interdictione feriatur excommunicatione, ut cum Iuda traditore Domini tabescat malediccione, pereat dissolucione, et infernalis baratri perpetua condempnatione. Ordo ergo rerum, quas pro salute corporum et animarum fideles in consecratione et ante consecrationem sancte Marcialis ecclesie contulerunt, sic incipit. In primis omne alodium ubi monasterium constructum est, et omne alodium per circuitum, scilicet, domos, terre culte et ereme, et diverse arbores, et aque, et ductus, et reductus aquarum, petre, prona, plana, et ardua, et pascua, et omnia in omnibus pertinencia, que bonus et nobilis vir Umbertus per vocem genitoris habens, et eius pia coniux Sicardis per vocem decimi noscuntur eidem Sancto Marciali dedisse votive ac potencialiter, nihil ex his retinentes sibi et liberis suis, quod possit esse in contrarietate, sive in placito, vel in placitis vel actibus, nisi solam suam principalem defensionem: hec tota ab integro cum primiciis, et decimis, et taschis, et omnibus placitis, aliisque serviciis, et omnibus afrontacionibus, ita per hanc dotem sint predicte ecclesie Sancti Marcialis perpetuo confirmata sub vinculo predicte excomunicationis. Similiter et omnia illa alodia in comitatu Ierundensi in loco vocitato Amenula, et apud Tordariam loco quem dicunt Casellas, et in plano etiam apud Pinetam, et in rivo sub monte Palacio alodium cum molendino, et in alio loco apud kastrum Lauretum, et in Macianeto, et in loco Gerundensi dicto Stagneolo: et in comitatu Barchinonaensi apud locum Palacium, ad ipsa Olzeta, ipso manso de condam Guadaldo vel de Petro, vel manso de Lorico prope Sancta Maria, cum alodio: atque in villa Castanea in Monte Signo, que ipsi donatores predicti dederunt ecclesie Sancti Marcialis, confirmata maneant sub nexu excomunicationis. Preterea alo-

dia cum omnibus hedificiis et pertinenciis in valle quam dicunt Arbucias, et in loco nominato Kastaneario, et in rivo Croso terras et vineas, atque alia alodia in insula ad ripam Tordariae inter ecclesiam Sancti Iuliani, sanctique Stephani de Palacio, et vineas quas vocant Oldesindas in Monte Signo, que Gerberga, mater prefati Umberti, omnia noscitur ipsi ecclesie Sancti Marcialis quibuscumque modis dedisse, alligata maneant sub hac excomunicatione. Deinde omne alodium apud maritima in loco vocato Argentona (vel Argenema) ubi cognominatur Civitas fracta vel Alcrona, videlicet, terras et vineas in planis et montuosis cum omnibus suis pertinenciis, que Otto Vivas et eius uxor noscuntur Sancto Marciali tribuisse, prescripta excomunicatione....... in dote. Insuper et domum cum solo et clausis, et terras....... cultas et heremas in territorio Vallensi, quas Ermengaudus et Isarnus Floridii Sancto Marciali contulerunt, et terras ac vineas quas in locis Corrone et Samalucio fideles dedere, atque boschum cum alodio, scilicet, terras, et vineas in termino de Perticacio et apud Palacium, quas fidelium largicio et predicti abbatis emptio prebuere Sancti Marcialis monasterio, presentis dotis stabiliat atque retentet excomunicatio. Nam et sub hac stabilitate permaneat illud alodium apud Pineta in valle Lubrica, quod simul cum domibus, et ortis, et triliis, et vineis et arboribus diversis quidam peregrinus Ermomirus dictus, cum uxore sua Imperia nomine, concessit Sancti Marcialis ecclesie. Sic etiam sit firmum illud alodium in Gerundensi kastro Caciaño in planicie, quod quidam vir Gozpertus Guadamiri simul cum coniuge scitur Sancto Marciali dedisse: et illud alodium de Crossannis et de maritimo (quod) Guilia Umberti soror et eius filius noscuntur contulisse: et due partes unius mansi in loco Brugedors nominato, quas Geraldus Gozfredi dedit Sancti Marcialis

monasterio: et pecia II. alodii quam Remundus Gozperti tribuit Sancto Marciali in Ierundensi in plano Viliarii: et alodium quod prebuit Guilla de Collo simul cum filio suo Bremundo: et due pecie terre quas dederunt ambo in vicinio de Sancto Ipolito: et alodium in parrochia Ursali, et illud quod est apud Sanctam Columbam de Vincolis. Hec quoque confirmatio constringat alodium illud in Monte Signo in loco Vivario, quod Willelmus Poncii largitus est Sancti Marcialis monasterio. Quecumque igitur prescripta sunt, et que per scripturam a fidelibus data, et danda, et quibuscumque modis debitis predicto S. Marcialis monasterio concedenda, ego inquam Guilielmus Ausonensis sedis episcopus pontificali excommunicatione confirmo, et meae manus scripturâ ac propio signo huius dotis libellum pro firmitatis indicio ita corroboro.

Ego Wdelardus Gaucefredi dono ad Beatum Marcialem in presenti dedicatione omnem meam hereditatem, quam habeo in duobus mansibus de Macianeto, vel in aliis alodibus, que in quibusque locis mater mea noscitur ipsi ecclesiae S. Marcialis quibuscumque modis dedisse: ita ut nec ego nec ulla persona per me requirat aliquid in his alodibus. = Sig✝num Wdelardus Gaufredi.

Ego Bernardus Gaufredi dono ad Sanctum Marcialem hoc quod habeo in duobus mansis de Stagneolo, et in aliis duobus de Macaneto, et in unam peciam terre in iam dicto Macianeto, et in aliis alodiis, que dedit mater mea ad iam dictum cenobium, voces quas abeo et abere debeo, ita ut nec ego nec ulla persona per me requirat aliquid in his alodiis. = Sig✝num Bernardus Gaufredi. = Wilielmus gratiâ Dei episcopus Ausonensis ecclesiae ✝. = Ermengaudus arkidiaconus SS. = Heribaldus portitor legis SS. = Guilabertus diachonus SS. = Sig✝num Remundi iudicis, Bonifilii prolis SS. = Bonucius sacerd.

SS. = Petrus levita ✝. = Raimundus diachonus SS. = Benedictus diachonus SS. = Amatus levita SS. = Seniofredus sacer SS. = Ermemirus sacerdos SS. = Petrus subdiachonus SS. = Bernardus subdiachonus SS. = Herallus canonicus et sacerdos SS. = Andreas abbas ✝. = ✝ Suniarius gratiâ Dei abbas (scilicet Bredensis). = Amatus monachus SS. = Berillus grammaticus SS. = Bonifilius monachus SS. = Stephanus monachus et pbr SS. = Bernardus sacerdos SS. = Suniarius monachus prepositus. = Sig✝num Guinardus Sindredi. = Sig✝num Umberti prolis Ottoni. = Sig✝num Sicardis femina, qui hanc dotem sub tali modo firmamus, ut omni tempore iam dictum monasterium sub nostro patrocinio vel defensione consistat, tam ipsum, quam omnes res eius adquisitas, vel adquirendas, et similiter fiat de ipsum filium, qui post nostrum obitum nostrum honorem de Monte Signo habuerit.

Wifredus abbas, qui amore Dei et Sancti Marcialis honore hanc dotem per se ipsum VI. Idus Decembris, et in anno millesimo LX.VI. ab incarnatione Domini scripsit cum litteris superpositis, et VI. anno Philippi regis Francorum sub ✝ scripsit.

## XXXV.

*Scriptura hostatici in favorem Berengarii episc. Vicen. super possessione eccl. Barcinon. aut forte Tarracon.* (V. pag. 209.)

*Ex arch. eccl. catedr. Vicens. ms. sec. XI. exeunte.*

Notum sit omnibus hominibus praesentibus atque futuris, quod mater ecclesia Barchinonensis captivata, et destructa a perversis hominibus longo tempore mansit. Sed postquam Dei misericor-

dia voluntatem Berengarii comitis inspirare dignata est, ut ipsam ecclesiam Barchinonensem de tanta captivitate liberaret, et eam ad Dei servicium restitueret, voluit ipse comes B. ut Berengarius Ausonensis in sua potestate Barchinonensem sedem et episcopatum teneret, et ipsam ecclesiam sine suo enganno reciperet. Sed ipse B. comes timuit, ut Bernardus Guillelmi, propter discordiam, quae est inter eos, ipsam ecclesiam invaderet, et per eam ipsi comiti honorem auferret. Propter quam causam ipse comes praecepit B. Ausonensi episcopo, ut acciperet securitatem per hostaticos a praedicto Bernardo Guillelmi, ne invaderet ipsam ecclesiam. Et ideo Bernardus Guillelmi mittit hostaticos in potestate B. Ausonensis epi, scilicet, Ramundum Berengarii, et duos fratres suos, Bernardum Berengarii, et Guillelmum Berengarii, Ricardum Guillelmi, et Berengarium Bernardi, et Berengarium Ermengaudi, et Guadaldum Guadaldi, et Adalbertum Bonepari, et Petrum Amalrici, et Bernardum Bernardi de Gurbo; ut isti omnes sint homines praedicti episcopi Ausonensis propter hanc causam tantum; et insuper promittant ei fidem suam, quod si Bernardus Guillelmi de Karalt invaserit ipsam sedem aut kanonicam per se, aut ullus homo, aut ulla femina per suum consilium, aut per suum ingenium, aut per suam voluntatem, praedicti hostatici deveniant, et incurrant in potestate praefati Ausonensis episcopi, et non exeant antea de potestate sua, donec unusquisque redimat se per ducentas uncias auri Valentiae. Si vero alius perversus homo utriusque sexus ipsam sedem invaserit, vel rapuerit, et Bernardus Guillelmi inde inculpatus fuerit, expurget se per sacramentum, et per batallam per unum militem, et postea adiuvet recuperare praedictam sedem B. comiti, et Bertrando (sic) episcopo per fidem sine engan. Quod si non fecerit, praedicti hostatici similiter incurrant in potestate Ausonensis

epi, et ipse episcopus Ausonensis non constringat praefatos hostaticos propter aliam causam, nisi propter ipsam sedem.

## XXXVI.

*Constitutiones pacis et treguae in ecclesia Ausonensi, incerto anno.* (V. pag. 212.)

*Ex arch. eccl. cathedr. Vicens.*

Confirmatio treguae Domini sive pacis. Haec est pax confirmata ab episcopis et abbatibus et comittibus, nec non et vice-comitibus, et coeteris magnatibus, et reliquis christianis Deum timentibus, in sede Ausonensi, scilicet, in claustris canonicae eiusdem sedis. Convenientes in praefatam sedem supradictae personae, aprehenderunt pacem sive treguam Domini in episcopatu Ausonensi, statuentes ad invicem ut ita teneretur in eodem episcopatu, sicut et in Gerundensi; laudantes et confirmantes, ut ab illa die et deinceps ullus homo ecclesiam non infringat, neque mansiones, quae in circuitu ecclesiae sunt, aut erunt usque ad XXX. passus, nisi episcopus aut archidiaconus, aut canonici ipsius sedis, quibus illa ecclesia subiecta fuerit, propter hominem excommunicatum pro pace aut pro tregua Dei. Ecclesias autem illas in hac defensione non ponimus, in quibus castella vel fortitudines factae sunt. Eas vero ecclesias, in quibus raptores et fures praedam vel furta congregaverint, vel male faciendo inde exierint, aut illuc redierint, tamdiu salvas esse iubemus, donec quaerimonia malefacti ad proprium episcopum, aut ad canonicos eiusdem sedis prius perveniat. Et si episcopus aut canonici sedis Ausonensis se fatigaverint, ut malefactor ille iustitiam facere nolit, postea ex mandato pontificis aut canonico-

rum eius praedicta ecclesia habeatur sine munitione. Ille autem homo, qui aliter ecclesiam invaserit, aut ea, quae in circuitu eius sunt, usque ad XXX. passus, irruperit, sacrilegii compositionem emendet, et tamdiu excommunicetur, quousque digne satisfaciat. Item placuit, ut clericum, qui arma non portaverit, aut monachos, seu sanctimoniales ullus homo non invadat, neque iniuriam faciat eis; sed sint in pace et treua Dei ipsi, et res eorum per omnes dies. Comunia canonicorum vel monachorum ullus homo non infringat, aut aliquid inde non diripiat; et si fecerit, tamdiu excommunicetur, donec iustitiam ex hoc faciat. Similiter confirmaverunt, ut ullus homo in isto episcopatu Ausonensi praedam non faciat de aequabus, vel pullis earum usque ad medium annum, neque de bobus, neque de vaccis, et earum filiis, neque de asinis aut asinabus, et eorum filiis, neque de arietibus et ovibus, et eorum filiis, neque de capris et hircis, et eorum filiis. Si vero exercitus militum super inimicum hospitatus fuerit, quicquid ibi in cibum sumpserit, praeter boves et vacas et eorum filiis, et oves, et arietes, et eorum filiis, hoc pro pace fracta non computetur. Mansiones autem pagensium, vel clericorum arma non ferentium, ullus homo non incendat vel destruat. Villanum autem aut villanam ullus homo non aprehendat, neque vestimenta sua eis tollat, neque vulneret, neque debilitet, neque occidat, et ullus non tollat eis vomerem vel ligonem. Mulos et mulas, qui inventi fuerint sub iugo in aratione, ponimus in eadem observatione. Messes ullius hominis nemo ardeat, neque olivas incidat, nisi propter suam culpam, quam praedicti villanus sive villana habeant factam; et non distringat eos, nisi per solum directum. Quicumque enim hanc, quam praediximus, pacem alicui infregerit, et illi cui eam infregerit infra quindecim dies in simplum non emendaverit, si dies quindecim transierint, in

duplum ei componat, et ex ipsa duplatione medietatem habeat episcopus, et medietatem canonica Ausonensis sedis.

Pactum autem Domini, quod treguam appellant rustici, confirmaverunt fortiter praedicti episcopi, videlicet, a prima die Adventus Domini usque ad octavas Epiphaniae, et a die lunae, quae antecedit caput Ieiunii, usque ad diem lunae, qui est primus post diem dominicum octavarum Pentecosten, et in tribus vigiliis totidemque festivitatibus Sanctae Mariae, vigiliae et festivitatibus XII Apostolorum, vigilia Sancti Laurenti, vigilia........ et Sancti Cucufatis, et festivitas eiusdem, vigilia et festivitas Sancti Felicis Martiris Gerundae, et Sancti Petri ad vincula. Festivitates insuper cum earum vigiliis ponimus in hac observatione religionis, scilicet, Sancti Iohannis Baptistae, ac Sancti Archangeli Micahelis, et Sancti Martini confessoris, et Sanctae Eulalie de Barchinona, et duarum festivitatum Sanctae Crucis, inventionis videlicet et exaltationis, et dedicatio Sancti Petri de Vico cum sua vigilia, quando est anniversarium ipsius dedicationis, festivitas omnium sanctorum et vigilia eiusdem. Similiter et quatuor tempora posuerunt et confirmaverunt in eadem observantia. Praedictos autem festivos dies in tregua Domini non solum confirmaverunt praedicti episcopi, sed etiam omnes praecedentes et sequentes noctes ab occasu solis usque ad ortum solem alterius diei iusserunt custodiri. Si quis autem intra praedictam treguam aliquod malum alicui fecerit, in duplum ei componat, et postea praeiudicium (f. per iudicium) aquae frigidae treguam Domini in sede Ausonensi emendet. Si quis autem intra hanc treguam voluntarie hominem occiderit, ex consensu omnium christianorum diffinitum est, ut omnibus diebus vitae suae exilio dampnetur. Quicumque pacem praedictam et pactum Domini praescriptum, quam treguam vocamus, bene custodierit

et servaverit, Deus pacis et totius consolationis cum illo erit, et gratiam suae benedictionis illi praebebit, et per hanc observationem remissionem omnium peccatorum suorum habere poterit. Illis vero hominibus, qui pacem praedictam et treguam praescriptam ruperint, aut violaverint, qui in praedicto episcopatu Ausonensi et comitatu habitant vel habitaverint, superveneri ira et indignatio Dei, et hi tales comunionem vel societatem cum fidelibus christianis non habeant, sed habeant partem cum impiis, sicut scriptum est: »Non est pax impiis, dicit Dominus." Insuper excommunicati snnt et extranei a sanctis Dei ecclesiis. Et si in hac malitia aliquis eorum mortuus fuerit, ullus sacerdos vel clericus vel alius homo non audeat eum sepelire. Prohibuerunt autem praedicti episcopi, ut intrantibus his pactis, idest, treguis, scilicet, Adventus Domini et Quadragessimae, et octavarum Pascae, aliquis castrum aut munimen edificare non praesumat, nisi XV. diebus ante inchoatas praedictas treguas hoc fecerit.

## XXXVII.

*Quaerimoniae ecclesiae Ausonensis contra invasores bonorum ipsius, incerto anno.* (V. pag. 213.)

*Ex arch. eccl. cathedr. Vicens.*

Conqueritur sancta Ausonensis ecclesia super Deusdedit Bernardi, qui aufert eidem ecclesiae castrum de Monteboyo, cum omnibus quae ad ipsum castrum pertinent, qui debet esse dominicum episcopi. De Amato Olivae, qui aufert infra terminum ipsius castri, alodium quod Guillermus sacrista ob remedium animae suae dimisit canonicae praescriptae sedis; et in castro Tous aufert eidem canonicae alodium Salliforas;

et in castro de Rigadell in Valle formosa aufert praelibatae canonicae alodium, quod Gaucerandus canonicus ei dimisit. Quaeritur etiam supra Bermundo Enrici, qui aufert et depredatur ibidem in Galliano alodia iam dictae canonicae. Gaucerandus Miro, qui aufert tres parroechias de archidiaconatu nostrae sedis. De Guillermo Guisadi et suis, qui diripiunt et depredantur dominicaturas praelibatae canonicae, videlicet, ipsam de Sancto Bathilio et de Rivolato: et de Bernardo Guillermi de Gurbo, qui aufert nostrae canonicae ecclesiam Sanctae Mariae de Mesleo cum universis decimis et alodiis et omnibus sibi pertinentibus, et de ipso tertio de Granoiariis. Conquaerimur de Raimundo Raimundi, et Petro fratre suo, qui aufert nostrae canonicae ecclesiam Sancti Ilarii sine ulla ratione. De aliis vero tam magnatibus quam mediocribus, qui auferunt sua praedia iniuste nostrae sedi et nostrae canonicae, tam in Ausone, quam in Oristidano, sive in comitatu Minorissae. De ipsis vero presbyteris et clericis non tacemus, qui habent emptos ecclesiasticos honores, et tenent capellanías per laycales personas: de militibus qui ad suum opus tenent alodia, qui debent esse iuri ecclesiarum, et devenire in potestate clericorum: de filiis praesbyterorum, qui iniuste et per datum praetium faciunt suum ordinem. De hiis non tacemus qui habent facta sacrilegia in nostra sede, et in multis ecclesiis in episcopatu Ausonensi. De ipsis vero quaerelam facimus, qui abent treguam Dei fractam, et ad (ab) episcopatu Ausonensi eiectam. De ipsis vero, qui suas uxores, quae recte habebant, habent dimissas, et alias acceptas. De ipsis vero non tacemus, qui miscunt se cum suis parentibus, et cum ipsis foeminis, cum quibus parentes illorum dormierunt. De Poncio Ugoni de Castrofolet conquaerimur, qui aufert nostrae canonicae ipsum alodium de Navarcles, quod mater sua eidem canonicae dimisit. Similiter de

Raimundo Mironi de Pugo alto, qui abstulit praescriptae canonicae in Buadella suum alodium. De Arnallo de Guardia dicto archidiacono, et de fautoribus eius, qui asalivit nostram sedem et archiepiscopum, et depraedavit equas nostrae canonicae et aliorum hominum, et vult accipere iniuste filiam Bernardi Guillermi in uxorem, quae est consobrina aliae foeminae cum qua multocies ipse se commiscuit.

Iubemus atque admonemus ut Petrus Riguallí, qui habet suam ecclesiam dimissam, et ecclesiam Sancti Iohannis cum omnibus quae sibi pertinent sub prioraticu acceptam, ut revertatur ad suam propriam ecclesiam Sanctae Mariae Villae Bertrandi. Si vero contemptor extiterit, interdicimus eum ab omni divino officio, et ab introitu ecclesiae.

## XXXVIII.

*D. Bernardi archiep. Toletani, et Rom. sed. legati ad Berengarium archiep. Tarracon. epistola.* (V. pag. 213.)

*Ex autogr. in arch. eccl. cathedr. Vicens.*

B. Dei gratiâ Toletanae ecclesiae archiepiscopus, apostolicae sedis legatus, B. Terragonensi archiepiscopo salutem. Cum sancta et universalis apostolica teneat ecclesia, concilia celebrari non oportere praeter sententiam Romani pontificis, valde miramur super praesumptione tuâ, quod nobis inconsultis, postquam apostolicae sedis vices, tam in tota Ispania, quam etiam in Narbonensi provintia, indultas esse audivisti, sinodum convocare praesumpsisti. Si vero licitum fuit, legendo decreta Iulii papae, et auctoritatem Nicenae sinodi, repperire poteris. Nos igitur non parum laetaremur, si ratio pateretur, vos concilium celebrare debere. Sed quia non vide-

mus, dedecus et contemptum Romanae ecclesiae dissimulare non audemus. Ideo apostolicâ auctoritate, ne concilium convocare praesumatis, interdicimus; et ut praesentiam vestram nobis in festivitate Sancti Michaëlis, remotâ omni occasione, ubicumque fuerimus in Ispaniis exibeatis, eadem auctoritate iniungimus, auditurus praeceptum papae per nos vobis directum.

## XXXIX.

*Memoria de restauratione urbis Tarraconae, circa annum MXC.* (V. pag. 213.)

*Ex arch. eccl. Vicens. n.* 1452.

Universi per Iberum litus, necne per Terragonensem provintiam homines perpendant, quemadmodum domnus papa Urbanus in litteris suis Berengario comiti Barchinonensi, Urgellensi, et Bisundunensi comitibus, et omnibus provintiae Terragonensis principibus per paenitentiam in redemtione omnium peccatorum suorum mandaverit restaurationem eiusdem urbis et ecclesiae Terragonensis. Quapropter Berengarius iam dictus comes, divinâ inspirante gratiâ comotus, donat in restaurationem praetextatae urbis numos L. milia, expolia de Tortuosa, praesenti anno V. milia, et omnibus subsequentibus annis V. milia, donec quinquaginta milia numorum supra compleatur, sicut pollicitus est domno Renerio cardinali per scripturam, quam inde fecit Romanae ecclesiae; sub hac conditione, ut ipse praefatus comes hac iminenti primâ festivitate omnium sanctorum ingrediatur praelibatam urbem ad restaurandum. Et isti sunt principes, qui causâ Dei amoris et omnium peccatorum suorum remissione, devoverunt se ingressuros praelibatam urbem ad inhabitandum; videlicet, Geral-

lus Alamanni, et Arnallus Mironis, et Deusdedit Bernardi. Praetextatus itaque Gerallus misit hostaticos in potestate memorati comitis, et Berengarii Ausonensis episcopi, qui est electus a domno papa Urbano Terragonensis archiepiscopus, scilicet, Raimundum Geriberti, et Berengarium fratrem eius, et Gerallum Gonballi de Olorda, et Rodlandum Bermundi, unumquemque eorum per quingentos aureos hoc numeri sunt duo milia; ut postquam praedictus archiepiscopus redierit ab Ispania, quam nunc vadit, intra spatium XC. dierum quod ipse mandaverit, mittat in potestate eiusdem episcopi castrum de Gelida, ut ingrediatur ad restaurationem praelibatae urbis, secundum quod ei laudaverit Ugo Dalmatii, et Geribertus Guittardi, et Umbertus Iozberti. Sin autem, isti iam dicti obsides redimant se duo milia aureos in potestate praefati episcopi. Simili modo, eademque sententiâ praedictus Arnallus Mironis mittat Reimundum Aianrici, et Petrum Bertrandi, obsides in potestate iam dicti episcopi, ut in praefato tempore mittat castrum de Subirads in sua potestate, sicut superius scriptum est. Deusdedit quoque Bernardi mittat Guilabertum vicecomitem, et Gonballum Raimundi per alios duo milia aureos, ut tempore praefixo mittat castrum de Claromonte in potestate iam dicti episcopi ad faciendum hoc totum, sicut superius est scriptum. Hoc etiam definitum est, ut cum ventum fuerit ad restaurandum moenia civitatis, turres et castra, et domos et alodia, quae pertinent ad iam dictam Terragonensem urbem, dividantnr et distribuantur ad laudamentum iam dicti comitis, et electi archiepiscopi Terragonensis, et Geralli Alamandi, et Deusdedit Bernardi, et Arnalli Mironis, et Guillermi Raimundi, et Gueriberti Guitardi, et Ugonis Dalmatii, et Guilaberti vicecomitis, et Mironis Guillermi, et Umberti Iozberti.

*Alia scriptura de eadem re.*

Isti sunt principes, qui causâ Dei amoris, et omnium peccatorum suorum remissione, devoverunt se ingressuros Terragonam urbem ad inhabitandum amodo usque capt. ieiunium (terminum) videlicet, Arnallus Mironi cum VII. militibus, et in potestate archiepiscopi Berengarii mittit ostaticum per quingentos aureos, videlicet, Petrum Bertrandi. Deusdedit Bernardi misit ostaticum Guilabertum vicecomitem per alios quingentos numos, ut VII. milites teneat. Ricardus Guielmi, Berengarius Bernardi ostaticum per alios quingentos. Guielmus Berenger de Barbera, Ricardi Guillermi ostaticum similiter per quingentos numos. Guielm Renard de Sarocha, Ricard Guielm per alios quingentos ostaticum. Ramon Berenguer, Ramon Geribert de Castelet ostaticum per alios quingentos. Bertran Sunier Siquart de Kavalers Pere Bertran ostadghe Ramon Reinald similiter. Bernard Berenger similiter. Raimundus Dodena similiter. Aianrici Folc similiter. Gonball Ramon similiter. Ramon Mager similiter. Pere Bernard de Cavid similiter. Bernard Bernard de Gorbe similiter. Arnall Guillem de Subirards similiter. Berenger Guadall similiter. Rodlan de Tamarit, Berenger Examuce, Arnall Bernanard de Barcelona similiter. Rodlan de Midiona similiter. Arnall Jocfre de Dusrios......... Guadall de Badelona similiter. Ale........ de Cegonnoles similiter. Adalbert de Font-rubia similiter. Gocfre de Bell Logh, Ramon Geribert de Castelet, Bernard Guillem de Clarmont, Gerall Ponc, et Guiell Ponc de Cesclods, Berenger Gitard de Beviure, Pere Ramon de Barbera, Gocfre Ratten de Sapronia, Guillelmus de Guarnall, Berenger Bernad de Cunide, Guillem Gerovard de Lorena, Bernard Adalbert de Cunid, Aldalard de Cunid, Bertran Mir de Lobregad, Ala-

man Arbert de Terracola, Ramun gifre de Kastelet. = Raimundus Berengarii comes Barchinonae et marchio cum sua mesnada.

## XL.

*Recognitio census facta canonicae Barcinon. ab episcopo Ausonensi, anno MCI.* (V. pag. 219.)

*Ex arch. eccl. Barcin. lib. I. Antiquit. fol.* 242. *num.* 654.

Cunctis sit notum, et universis patulum, qualiter ego Guillermus Berengarii Ausonensis ecclesiae electus, recognosco et auctorizo ipsum mansum, quod habeo in monte Iudaico iuxta Barchinonam, iuris esse canonicae Sanctae Crucis, sanctaeque Eulaliae, quod habeo per scripturam, quam mihi exinde fecerunt eiusdem sedis canonici, cum censu in ea scriptum, dum vixero. Nunc vero cupiens ire ad limina beatorum apostolorum Petri et Pauli, aliorumque sanctorum, iubeo ut Bernardus Berengarii frater meus teneat praedictum alodium per manum canonicorum praedictae sedis, quousque ego revertar; et donet annuatim ipsum censum, qui continetur in scriptura donationis meae. Si autem contigerit me mori in hac peregrinatione, vel aliquo casu quandocumque mihi evenerit, solide et libere deveniat in potestate et iure praetaxatae canonicae, et canonicorum eiusdem. Hanc itaque scripturam si quis, quod absit, in aliquo violare praesumpserit, in triplo componat, et postea haec scriptura robur obtineat perhenniter valiturum. Quod est actum V. Idus Martii, anno XL.I. regni regis Philippi. = Signum Guillermus Ausonensis electus. = Sig ✝ num Raimundus levita, atque prepositus. = Sig ✝ num Petri Umberti diachoni. = Sig ✝ num Raimundi Girberti. = Sig ✝ num

Berengarii Guillermi. = Sig✝num Guillermi Guadalli. = Sig✝num Martini Iohannis. = Sig✝num Geriberti Iohannis. = Guillermus Bernardi Roturensis levita, qui hanc scripturam rogatus scripsit cum litteris supra positis in linea III. ubi dicitur mihi, die et anno ✝ quo supra.

## XLI.

*Iudicium de subiectione monasterii S. Ceciliae in Monte-serrato, latum in favorem monasterii S. Cucuphatis, anno MCVIII.* (V. pag. 221.)

*Ex arch. monast. Montis-serrati.*

Pateat cunctis, qualiter sit orta contentio inter domnum abbatem Rodlandum Sancti Cucuphatis, et monachos Sanctae Ceciliae Montis-serrati, de eodem monasterio Sanctae Ceciliae. Monachi namque praedicti Sanctae Ceciliae monasterii dicebant idem monasterium non debere esse iuris monasterii Beati Cucuphatis, propter praecepta regalia, et quasdam quas proferebant voces. Ad haec respondebat idem Sancti Cucuphatis abbas, idem monasterium Sanctae Ceciliae adquisisse per privilegia Romana et donationes comitum Barchinonensium eiusdem loci Sanctae Ceciliae fundatorum, et tenuisse per longum tempus, constituendo ibi priorem vel abbatem, et regulariter ordinando. His vero altercantibus, interveniens domnus Arnallus Ausonensis episcopus et clerici eius, ad cuius diocesim praefatus pertinet locus, convocato domno Barchinonensi episcopo Raimundo et clericis eius, egit inter eos placitum apud Matam de Pera, multis circum astantibus viris nobilibus. In quorum praesentia prolatae sunt voces ab utrisque partibus. Visis autem hisdem vocibus, et bene ad liquidum exquisitis, canonice iudicaverunt ipsi episcopi electi

iudices, cum Ollegario Sancti Adriani priore, sepedictum Sanctae Ceciliae monasterium debere esse proprium alodium Sancti Cucuphatis, secundum privilegium quod papa Urbanus Beato Cucuphati ex eodem monasterio contulit, et largitionem comitum Barchinonensium, salvâ reverentiâ sedis Beati Petri et episcoporum eius. Laudato itaque ab utrisque partibus iuditio, et factâ inter eos concordiâ ego Arnallus Dei gratiâ Ausonensis episcopus, cum consilio nostrorum clericorum, laudo et confirmo idem monasterium Sanctae Ceciliae Beato Cucuphati, salvâ in omnibus reverentiâ nostrae ecclesiae, nostrorumque successorum pontificum. Actum est hoc XVI. Kalendas Augusti anno XLVIIII. regnante rege Philippo. = ✝ Arnallus gratiâ Dei Ausonensis episcopus. = Petrus abba Aggerensis subsc. = Sig✝num Berengarii Montecatani. = Sig✝num Gaufredus Isarni. = Sig✝num Guillermi Raimundi. = Guilemus subdiachonus subsc. = Bertrandus subsc. = Berengarius clericus S. Petri ✝. = Petrus sacerdos ✝. = Bernardus clericus subsc. = Berengarius iudex atque sacrista ✝. = Alamandus levita ✝. = Bernardus presbiter vel monachus, qui hoc scripsi die et anno ✝ quo supra.

## XLII.

*Consecratio ecclesiae S. Martialis in monasterio Montis Signi, ann. MCV.* (V. pag. 223.)

*Ex autogr. in monast. S. Salvatoris Bredensis.*

Anno ab incarnacione Xpi millesimo centesimo IIII., Indicione XII. venit domnus Arnallus Ausonensis episcopus ad monasterium Sancti Marcialis, quod est edificatum inter duo montis signa, ad principium fluentis Tordariae, eo quo isdem locus ad diocesim Ausonensis sedis aeccle-

sie Sancti Petri pertineat; et rogatu Bonihominis prioris eiusdem, unâ cum domno Bernardo Ierundensi episcopo, in cuius patrimonio cognoscitur esse constructum. Et constipatus venerabili collegio clericorum, hac nobilium laicorum undique confluencium, consecravit uterque iam dictum monasterium in onore Sancti Marcialis epi et confessoris; et facta sollemniter dedicacione, confirmaverunt illi monasterio universa, que hactenus a domno Umberto et uxore eius Sicarde, et aliis Dei fidelibus ibi collata sunt, et in futuro dabuntur ei. Et constituerunt sub anatemate, ut universa predia et alodia, que Arnallus prior Balneolensis inde transtulit ad aliam aecclesiam in episcopatu Barchinonensi, sine ulla reservacione restituat ei. Ea scilicet deliberatione, ut saepe dictum monasterium ita sit stabilitum et ordinatum ad Dei servicium, sicut resonat in privilegio ex altera parte conscriptum (1) et a domno Wilelmo Ausonensi presule, et clericis eius sub vinculo excomunicacionis alligato et confirmato. Constituimus eciam, ut abba vel prior eiusdem monasterii faciant semper sinodalia instituta et observationes Sancte Ausonensis ecclesie, sicut olim ab abbate Guifredo eiusdem loci factum est ibi, vel esse debuit. Proinde ego Arnallus prelibatus Ausonensis ecclesie presul hanc dotem, sicut est superius comprehensum, corroboro, et ut a nemine infringatur anatematizo; atque ut firmius teneatur, per solitum signum subterius meâ manu confirmo. Que est facta Nonas Februarii anno XL.V. regni Philipi regis = ✝ Arnallus graciâ Dei Ausonensis episcopus. = Iohannes monachus et sacerdos, qui hanc dotem scripsi die et anno quo supra.

1 Praesens carta exarata est in dorso alterius autographae et antiquioris, quae est scilicet de prima constitutione monasterii S. Martialis anno 1066. (V. sup. n. XXXIV.)

## XLIII.

*Decretum Arnalli episc. Ausonensis super ecclesia de Manlleu, anno MCV.* (V. pag. 224.)

*Ex arch. episc. Vicens. tom.* 4. *n.* 38.

Regnante Domino nostro Ihesu Christo in perpetuum. Ego Arnallus Dei nutu praesul Ausonensis ecclesiae, cum assensu canonicorum eiusdem sedis Sancti Petri supterius annotatorum, vobis clericis Sanctae Mariae de Mauseolo, praesentibus et futuris, secundum regulam Beati Agustini canonice Deo militantibus in eadem ecclesia, hanc perhenniter facimus libertatem. Quoniam in credita nobis ecclesiarum cura solerti studio nos semper condecet vigilare, consultissimum officii nostri speramus remedium provenire, dum pro utilitatibus ecclesiae, quae debent observari, nostrâ auctoritate iuxta canonum statuta sancimus. Ideoque praesenti firm....... mus, ut quicquid in praesentiarum memorata habet ecclesia, vel in perpetuum per Dei gratiam iuste adquisierit, secure ac quiete........ possideat inquietudine. Nulli ecclesiasticâ dignitate fulto, neque seculari potestate utriusque sexus erecto liceat de rebus eiusdem ecclesiae aliquid auferre ad dampnum illius, neque ut ulius ibi amplius subrogetur capellanus, sed secundum electionem san(ioris partis) fratrum ibi degentium eiusdem loci ibi prior sublimetur. Si vero quislibet ibi dignus huic officio repertus non fuerit, cuiuslibet loci huic ministerio congruum eligendi potestatem habeant. Quae electio, si regulariter facta fuerit, ab episcopo et eiusdem sedis clericis approbetur. Quod si eiusdem loci fratres hanc electionem secundum Deum statuere noluerint, sive ignoraverint, episcopi electione seu aliorum canonicorum secundum canonicalem regulam ibidem prior praeponatur, qui e-

piscopo et eiusdem sedis clericis secundum Deum obediens existat, et observet cerimonias eius iuxta canonum instituta. Et ecclesiae praetaxatae non prohibeatur divinum officium praeter culpam canonicorum ibi degentium, nisi forte coeterae canonicales ecclesiae per episcopatum vel monasteria propter aliquod piaculum a pontifice vel a clericis sepedictae sedis fuerint interdicta. Laycis ab hac immunitate divini cultus prohibitis, si rebelles extiterint, quod absit, canonicis institutis a sede propensius divulgatis. Si quis autem huius nostri decreti violator extiterit, donec resipiscat, et ecclesiae illi vel canonicis eius satisfaciat, anatematis gladio feriatur, et cum Iuda traditore loris igneis averni perpetim comburatur. Sinodales insuper redditus et ebdomades, et coetera quae reddere solet nostrae sedi, retinemus ad opus eiusdem sedis Sancti Petri. Factum est decretum anno dominicae Incarnationis M.C.V., regis Philippi XLVII. = Bernardus archiepiscopus Toletanae sedis, et sanctae Romanae ecclesiae legatus subscribo. = ✝ Arnallus gratiâ Dei Ausonensis episcopus. = Ego Boso cardinalis subscribo. = Bernardus archidiachonus subscribo. = Berengarius iudex atque sacrista ✝. = Berengarius Eriballi, canonicus Sancti Petri ✝. = Petrus Bernardi subscribo. = Guillermus Bernardi, clericus Roturensis subsc. = Berengarius paraphonista hic adsunt sua scripta ✝. = Raimundus caput scolae ✝. = Ut res monstravit ✝ sic Poncius ista notavit.

## XLIV.

*Absolutio ab excommunicationis sententia*, *anno MCVIII.* (V. pag. 225.)

*Ex autogr. in arch. eccl. Vicens. n.* 338.

Notum sit omnibus hominibus, tam praesentibus quam futuris, quomodo ego Ugoni, proli Dal-

madi, et coniux mea nomine Ermessendis, donavimus et tradimus in potestate Dei et Sancti Petri sedis Vici ipso closet, qui est ante ostium de ipsa mansione de Sancti Petri iam dicti, cum ipso espinalb, qui unam (f. uvam) vitis sustinet, vel ipsos chesals, qui sunt in circuitu. Hoc totum donamus et emendamus per ipsa eschomunione, quae ego Ugoni fuerit pro ipsa ecclesia de Rosdors, quae ego fuit apud Bermundi Aiandrici afingere, unde erit descomunicati: propter hoc facio ipsa emendatione, et remedium animarum nostrarum vel parentorum nostrorum, qui fuerunt ante nos, et venerint post nos. Et ego domnus Arnallus gratiâ Dei Ausonensis episcopus cum eius kannonica, solvimus de ista eschomunione de ipsum sacrilegium, et habeatis partem in totam nostram commemorationem, vel in nostris orationibus. Et qui ista emendatione infringere voluerit, descomunicatus erit, et cum Iuda Eschariocis abligatus erit in profundum in infernum. Actum est hoc XII. Kalendas Iunii, annos XLVIII. regnanti Philipi regi. = Sig✝num Ugoni Dalmadi. = Sig✝num Ermessen uxor mea, nos qui ista emendatione fecimus scribere, et manus nostras firmamus, et testes firmareque rogamus. = Sig✝num Arnad sac. procuratori. = Sig✝num Pere Ramon. = Sig✝num Guillermus Ponç. = Ermengaudus levita qui scripsit die et anno quo ✝ supra.

## XLV.

*Concordia Raimundi Gaufredi episc. Ausonensis cum canonicis eiusdem ecclesiae, incerto anno.* (V. pag. 226.)

*Ex autogr. in arch. eccl. Vicensis.*

Quoniam Christi ecclesia in hoc erumnoso solo posita, cotidianis peccatis hominum exigentibus,

saevissimis sepe quatitur procellis, necessarium est et perutile, ut assiduis protegatur et muniatur fidelium orationibus et auxiliis. Quapropter ego Raimundus Dei gratiâ Ausonensis ecclesiae episcopus, providens utilitati ecclesiae Dei, quam a Deo regendam, licet indignus, suscepi, convenio Omnipotenti Deo et beato Petro Apostolorum principi, et fratribus meis Vicensis ecclesiae canonicis, quod ab hodierno die et deinceps fidelis sim de thesauris ipsius ecclesiae, et de omni honore canonicae prefatae ecclesiae, quem modo habet vel habere debet, vel in antea Deo dante adquisitura est, et de vita et corporibus clericorum canonicorum, et de omnibus honoribus eorum, ipsos et omnes res eorum defendendo contra cunctos homines vel feminas, eorum velle et consilio. Hoc insuper adiciens, quod si me aliquando huius ecclesiae prelationes, videlicet, archidiachonatum, sacristaniam, capitiscoliam, stabilire contigerit, non eas diminuam, sed integre et canonice, sanioris partis consilio ipsius capituli, eas stabiliam. Quapropter obedientiam et humilitatem sectando, ego Gerallus archilevita, et Berengarius sacricustos, et Petrus primicherius, coeterique istius ecclesiae canonici convenimus Deo et beato Petro Apostolo, et tibi Raimunde Ausonensis sedis episcope, quod ab hodierna die et deinceps fideles simus de thesauris praefatae ecclesiae, et de omni honore canonicae, quem modo habet vel habere debet, vel in antea Deo dante adquisitura est, et de vita et corpore tuo et membris, sive de omni honore, quem modo habes vel habere debes, vel in antea Deo dante et nostro consilio adquisiturus es, te et omnes res tuas defendendo, sicut boni filii facere debent atque fideles. Et nos omnes pariter episcopus, videlicet, atque canonici convenimus, quod si aliqua discordia vel propter honorem vel propter sermonem sive aliquam occasionem inter episcopum et clericos, vel inter

clericum et clericum instigante diabolo supervenerit, consilio et laudamento vel iudicio illorum IIII.or, qui electi sunt vel fuerint, in capitulo coram fratribus terminetur, et diffiniatur, absque appellatione alterius capituli, vel sine intromissione aut acclamacione alicuius laicalis personae. Hoc adiungendo ut nullus hanc fraternitatem nostram, idest, canonicum fieri, adipisci possit, qui istam convenientiam, sicut nos, non laudaverit et firmaverit, nisi aetas vel stultitia illum impedierit. Quicumque vero ab hac convenientia superius scripta ingenio vel superbiâ se substraxerit, si episcopus sit, careat obedientia, amore, dilectione, et servitio omnium canonicorum: si vero canonicus fuerit, canonicali beneficio privetur, et neque episcopus neque canonicus sibi in aliquo solatium fraternitatis, beneficium amoris exibeat vel impendat. = † Raimundus Dei gratiâ Ausonensis episcopus. = Berengarius sacrista, qui hoc confirmo †. = G. scriptis favet archidiachonus istis †. = Guillermus sacerdos subscribo. = Berengarius sacriscrinius. = Hoc ea quae laudat Guillermus carmine firmat †. = R. Bertrandus levita. = Berengarius levita subsc. = Petrus Berengarii levita. = Sig†num Guillermi de Solario. = Berengarius levita †. = Berengarius diaconus †. = Bernardus sacerdos †. = Iohannes Bachonis † atque levita. = Arnallus sacerdos subscribo. = Guillermus prior qui hoc firmo †. = Petrus levita subscribo. = Petrus adest scriptor confirmans scripta fidelis †.

# XLVI.

*Narbonensis concilii decretum pro restauranda ecclesia Tarraconensi.* (V. pag. 226.)

*Ex arch. eccl. Aggerens. n.* 960.

Anno ab incarnatione Domini C.XXVIIII. post millesimum (1), hebdomadâ de Passione Domini. sancta sinodus archiepiscoporum, episcoporum, et abbatum, aliorumque religiosorum apud Narbonam in ecclesia Sanctorum martirum Iusti et Pastoris congregata, in qua venerabilis Arnallus ipsius primae sedis Narbonensis archiepiscopus, et sanctae Romanae ecclesiae legatus praesidens, Ollegarius Terraconensis metropolitanus, cum utriusque metropoleos suffraganeis episcopis, et abbatibus: considerantes qualiter christianitatem, quae tot oppressiones, et mortes a sarracenis assidue patitur, sucurrerent, consilium cum Deo inierunt, ut Tarraconensem sedem, quae existit citerioris Hispaniae caput, restaurare satagerent. Constituerunt itaque ad honorem Dei, et fidelium animarum salutem, et restaurationem ipsius ecclesiae, symbolum, quod confratriam vocamus; videlicet, ut unusquisque confrater donet de bonis suis secundum quod in corde suo elegerit; et quotannis reddat votum suum Deo quasi censum capitis sui pro anima sua ipsi ecclesiae et legatis eius. Hoc quipe faciant archiepiscopi, et episcopi pro se; et praelati canonicorum atque monachorum pro se, et pro sibi subiectis. Alii vero tam clerici quam laici donent in hanc confratriam, si non amplius, saltem XII. denarios; aut si impotentes fuerint, quot eis placuerit. Constituerunt etiam, ut pro hac devotio-

1 Aliud exemplar ibid. n. 2342 peractum hoc concilium atque decretum ait anno 1128.

ne et censu, quem super se pro Deo imponunt, omnes archiepiscopi, et episcopi, abbates, ceterique praelati, atque subiecti sacerdotes, audito cuiuslibet confratris obitu, cantent pro eo missam. Pro illis vero, quorum transitus ad aures eorum non pervenerit, et pro ceteris, secundâ feriâ primae hebdomadae quadragesimalis offerant sacrificium Deo omnes sacerdotes confratres. Illos etiam, qui iam in Christo dormierunt, iu hac confratria suscepti (suscipimus), pro quibus suorum amicorum devotio similem censum in vita sua exsolvere deliberaverint. Apostolicâ quoque auctoritate freti omnes ibi cohabitantes, vel convenientes, et res eorum in protectione Beati Petri, et sua receperunt, et in pace, et in treva Dei in omni loco statuerunt; ita ut quicumque in eundo, vel permanendo, seu redeundo eis aliquid foris fecerit, iram Dei incurrat, et excommunicatus ab omnium fidelium societate alienus existat, donec eis satisfaciat. = Ego Arnallus Narbonensis archiepiscopus, et sanctae Romanae ecclesiae legatus sig†no confirmo. = Ego Ollegarius sancte Terraconensis sedis metropolitanus sig†no confirmo. = Amelius episcopus Tolosanus sig†no. = Allebertus Agatensis episcopus sig†no. = Riamundus Mâgalonensis episcopus sig†no. = Arnaldus Carcassensis episcopus sig†no. = Bermundus Biterrensis episcopus sig†no. = Petrus Lutovensis episcopus sig†no. = Petrus Elenensis episcopus sig†no. = Berengarius sanctae Gerundensis sedis episcopus sig†no. = Raimundus Ausonensis episcopus sig†no. = Petrus Urgellensis episcopus sig†no. = Petrus Cesaraugustanus episcopus sig†no. = Raimundus Sancti Saturnini Tolosae abbatis sig†no. = Gerallus Lesatensis abbas sig†no. = Arnallus abbas Aggeris sig†no. = Petrus Tomerensis abbas sig†no. = Berengarius Carsensis abbas sig†no. = Aicardus Sancti Stephani Tolosae praepositus sig†no.

## XLVII.

*Decretum concilii Narbonensis ann. MCXXXV. in favorem ecclesiae Elnensis.* (V. pag. 228.)

*Ex origin. in arch. eccl. catedr. Vicens. n.* 494.

Anno dominicae Incarnationis M.C.XXXV. dompno Arnaldo venerabili Narbonensis ecclesiae archiepiscopo, Romanae sedis legato, residente in sinodo in ecclesia beatorum martirum Iusti et Pastoris, cum sufraganeis episcopis Biterrensi, Magalonensi, Carcasensi, Tolosano, Elenensi, abbatibus et caeteris religiosis viris, ad tractandum de statu ecclesiae secundum statuta sanctorum patrum, surrexit Udalgarius Elenensis episcopus in praesentia totius sinodi, ostendens miseriam et animi perturbationem et dolorem super se et filiis ecclesiae suae. Cuius perturbationis modum sic exponebat, dicens, quomodo piratae sarraceni alios captivaverant, quomodo alios raptabant ad naves, et alios trucidabant in conspectu suo et omnium christianorum, qui ibi advenerant. Referebat iterum quomodo sarraceni quaerebant pro redemptione captivorum centum adolescentulas virgines, ut haberent, et tenerent, et deflorarent eas nefario concubitu, et cum eis delectarentur. Referebat iterum quomodo christiani milites consentientes pravis consiliis eorum currebant, et circuiebant villas et domos, et rapiebant puellas, et trahebant eas violenter ad naves, ut immolarent eas daemoniis, ut commiscerentur inter gentes perfidiae, et discerent opera nequitiae, et servirent eis. Referebat iterum quomodo matres earum sequebantur filias suas cum magno ploratu, et faemineo ululatu. Insuper narrabat episcopus cum suspiriis et gemitu, quomodo ipse, ne contaminaretur ecclesia, ne

perirent filii ecclesiae suae, posuerit fidem suam et Christum obsidem pro redemptione captivorum, confidens in auxilio filiorum ecclesiae ad salvandam fidem suam, et ad trahendum de carcere in membris suis Christum obsidem. Ad hanc miserabilem vocem et dolorem episcopi de captivitate christianorum et miseria ecclesiae suae, dompnus Arnaldus archiepiscopus condolens, et patiens, cum episcopis, et religiosis viris accepto sano et coelesti consilio decrevit in sinodo quaerere........ filiis ecclesiae sui archiepiscopatus ad redimendum Christum in membris suis, et salvandum fidem episcopi. Hoc modo decretum est, ut quisquis de filiis ecclesiae ad hoc auxilium redemptionis de sua propria facultate habuerit vel potuerit dare unum morabotinum, et dederit, et qui hoc non poterit, dederit secundum suum posse vel V. solidos, vel IIII.or vel III.es, vel II.os, vel XII.cim nummos, vel VI., vel unum, auctoritate apostolorum eis a Deo datâ, qui dixit: «Accipite Spiritum sanctum, quo»rum remisseritis peccata, remittuntur eis, et »quorum retinueritis, retenta sunt," in virtute eiusdem Spiritus sancti plenam habeant remissionem omnium peccatorum post actam veram confessionem, exceptis publicis peccatis, pro quibus veniant ad episcopum suum, qui det eis iudicium, et colligat illos, et suscipiat eos in hac remissione secundum sanam rationem misericordiae. Nos autem caeteros dominos, patres, et fratres in provintia Narbonensi et nostra legatione episcopos et sacerdotes praecamur, et exortamur ut ad confirmandam supradictam remissionem suam auctoritatem studio caritatis adhibeant, et ad relevandum honus miseriae fratris nostri episcopi, fraternae pietatis amore compatiendo, caeteros sibi subiectos ammoneant.

# INDICE

# DE LAS COSAS MAS NOTABLES.

---




UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 13 10 03 16 008 0